DE GRÆCÆ ECCLESIÆ HODIERNO STATU EPISTOLA.

Authore
THOMA SMITHO,
Sacræ Theologiæ Doctore, & Eccleſiæ Anglicanæ Presbytero.

Editio nova, auctior & emendatior.

BIBL. SEC. COLL. ROM. SOC. IESV



TRAJECTI ad RHENUM,
Apud FRANCISCUM HALMAM Acad. Typogr. cIↄ. Iↄ. c. xcviii.

m 2ll 10

3

LECTORI S.

CUm a multis annis hic libellus, diſtractis exemplaribus, apud noſtrates bibliopolas vix compareat, & rariſſime quidem, ut accepi, in vicinis regionibus ſit reperiendus, ut illum attentiſſimâ mente relegerem, & reciſo, ſi quid minus exploratum, quod in opere miſcellaneo ab homine licet veritatis ſtudioſiſſimo vix præcaveri potuit, obrepſiſſet, nonnulliſque, quibus res Eccleſiaſticæ Græcorum amplius illuſtrari poſſint, ſuperadditis, tandem ultimis curis, ecollectis, tertio ederem; tum argumenti, quod inibi tractatur, gravitas, tum amicorum conſilia facile ſuadebant. Quibus præcipue ut morem gererem, dum me ad penſum iſtud abſolvendum animo affectibus vacuo accinxerim, paucula quædam, puta in recenſione Dominicarum poſt Paſcha, de Seculo, in quo mos reſervandi panem Euchariſticum inceperat, aut iſtiuſmodi, nullius plane momenti, minus accurate poſita, quæ mihi quaſi aliud agenti exciderunt, occurrere, qua, aut explicatione aut emendatione indigere videantur, non invitus fateor: plura quoque, ſi proprio judicio convictus, aut ab adverſariis aliiſve,

qui aut ex induſtria, aut ὡς ἐν παρόδῳ *de rebus Græcorum diſſeruere, monitus, ea reperiſſem, emendaturus. Sed cum argumentum illud in varias, easque pene infinitas, partes diductum diffuſumque, additamentorum ſit maxime capax, multa, quæ licet non cognitu neceſſaria, ſaltem non incongrua [illegible] inepta mihi videntur, aut ſuis in locis in[illegible]nda, aut ſeorſim in fine apponenda, omni debito exa[illegible]ne adhibito, curavi: interim tamen in hoc compendio jam recenſito & aucto ſumma tantum dogmatum, diſciplinæ, rituum, aliorumque, quæ ad præſentem Græcæ Eccleſiæ ſtatum propius ſpectant, capita congeſſiſſe contentus: aliis, qui judicio & penitiori rerum Græcarum cognitione pollent, ea omnia fuſius enarrandi relicta, ſi qua manet, gloria.*

*Ex horum autem numero plane excipiendus eſt nuperus quidam Scriptor Gallus, qui, quaſi novus Cato de cœlo decidiſſet, orbi literario arcana hactenus incognita revelaturus, * rhapſodiam* de gentibus & eccleſiis Orientalibus ſub imperio Ottomannorum degentibus, *nulla arte, judicio nullo contextam, obſervationes, cuivis vel proletario obvias, & pleraque ex parte ex trivio petitas,*

&

* Etat preſent des actions & Egliſes Grecques, Armeniennes, & Maronites, en Turquie : par le Sieur de la Croix. à Paris. M. DC. XCV.

& ſi alicubi occurrant, quæ bonæ frugis ſunt, ab aliis manifeſto plagio ſurreptas, continentem, in publicam lucem nuper inauſpicatis avibus extruſit. Sane pudori & famæ ſuæ non inepte conſuluit, quæſita apud indoctam plebem induſtriæ in rebus miris, & plane novis, ut ipſis pro fatuitate ſua videbuntur enucleandis collocatæ laude, quod non La[illegible]*: ſed Gallice ſcripſerit; acrem cenſuram* [illegible] *ditorum, illam linguam neutiquam callentiu*[illegible] *quibus iſtæ ineptiæ ſorderent,* [illegible] *modo facile evaſurus. Ita ſæpenumer*[illegible] *venit, ut cultioris literaturæ prorſus rudes & ignari ſibi ſapere, & de rep. literaria bene mereri videantur, quos plane deſipere, & bonas literas indocta tractatione funeſtare, aliis, qui recte judicare norunt, maxime conſtat. Sed cum Author iſte præ immodico zelo (qui ſi careat Chriſtiana charitate, ratione, & ſapientia directricibus, mutato nomine inſania nuncupari debet, cujuſcunque communionis in ſacris ſint ejuſmodi ignei zelotæ) in Græcam Eccleſiam tanquam rebellem, blaſphemam, hæreticam, & ſchiſmaticam, paſſim debacchetur, hoc ſolo nomine, quod jura ſua contra Romani Pontificis tyrannidem vindicaverit, adhucque noluerit jugo ſervitutis implicari; cum Cyrillum Lucarim, Patriarcham Conſtantinopolitanum,*

 Vi-

Virum optimum, & de Eccleſia Græca, *ſi quis alius, quicquid contra blaterant & mentiantur* οἱ ἐξ ἐναντίας, *præclariſſime meritum, ſpurciſſimis & falſiſſimis convitiis proſciderit; cum denique iſtorum temporum hiſtoriam ingeſtis fabulis mire corruperit, ſibi ipſi imputare oportet, ſi quippiam in ſe acrius animadverſum putet. Debuerat noſſe horrendas iſtas calumnias, ab Allatio ad infamiam nomini Cyrilliano inurendam propalatas, quas credulitate inhoneſta & plane damnanda, ſtudio partium nimium quam abrepti, ſuis in ſcriptis admiſere Arnaldus & Simonius, ex prolatis tabulis, literis authenticis, aliisque Virorum magnorum, non minus probitate ac legationibus, quas apud Portam Ottomannicam ſumma cum laude obierant, illuſtrium teſtimoniis dudum omnium bonorum, qui veritatem amant, deriſui & odio fuiſſe expoſitas. Quod ſi noſſet, & tamen diſſimulaverit, quanti ſtuporis erit argumentum, pellucida mendacia contra vim veritatis, tot manifeſtis indiciis & probationibus ultra omnem cavillationem ſophiſticam evicta, obſtinate tueri! Sed litem iſtam quam tanto cum furore contra Cyrillum duo illius, non infimi & famam eruditionis nominis, infenſiſſimi hoſtes, intentarunt quaſi temeritatis ſuæ pœnituiſſet, turpiter deſeruiſſe quidni*

dixerim,

dixerim, cum repetitis vindiciis nondum hactenus fuerit reſponſum? De exceptionibus, ſi quas habent, vel ipſi Romanenſes moderatioris ingenii, qui veritatis ſtudio ducuntur, judicent, an valeant, aut tanquam juſtæ & legitimæ ſint admittendæ. Non enim ullatenus opus erit, ut in novam litis quaſi ſopita diſceptationem ipſe denuo deſcendam.

An vero dogma de transſubſtantiatione, prout hodie in Eccleſia Romana juxta Concilii Tridentini canones obtinet, in Græca Eccleſia inter articulos fidei & religionis, non niſi poſt exauctoratum Cyrillum, introductum fuiſſe, demonſtraverim nec ne, penes alios eſto ſtatuendi arbitrium. Nam de hodiernis Græcis, quos Romanenſium blanditiis, ne dicam pecuniis corruptos, & miſere deluſos, fidem majorum hac ex parte dedidiciſſe querimur & dolemus, non eſt, quod tantopere ſolliciti ſimus: nec denegandum cenſeo, illud ex orthodoxa confeſſione, uti appellatur, Catholicæ atque Apoſtolicæ Eccleſiæ Orientalis, & ex Synodo Hieroſolymitana cum Dionyſii Patriarchæ Conſtantinopolitani reſponſione A. D. M. DC. LXXII. ſimul edita ſatis conſtare. Unde vero hæc fluxa fides & inconſtantia ortum habuerit, ac quo pacto doctrina hæc nova; adhuc plane cruda, vixque ſatis probe intellecta,

apud Græcos Antiſtites & Sacerdotes, nondum miris abſurdiſſimisque Scholaſticorum ſubtilitatibus penitus aſſuetos & exercitatos, argumentisque, quibus inter diſputandum urgentur, indicto ſilentio, ſuccumbentes, non ita pridem obtinuerit, alibi oſtendi, nec rem iſtam, quam in iterata ad Simonium reſponſione fuſius egi, hic retractare neceſſarium videbitur. Ad æquos arbitros provoco, ut prout jus, fas, & ratio ſana, atque injuſtis præjudiciis libera, ſuggerent, utraque parte audita ſtatuere velint.

Male & acerrime quidem uſſit D. Arnaldum, quod de Græcis ante mota hoc ſeculo certamina ſupra aſſerui, qui magno & laborioſo apparatu in libro de perpetuitate fidei *contrarium evincere molitus eſt: cujus pompoſi operis non minima pars* inutilis redderetur, *ipſo Simonio fatente, qui illius argumenta ad probandum Græcæ Eccleſiæ cum Romana in hoc præſertim dogmate, tanquam tela plumbea & plane obtuſa elevat, ipſe novus athleta in arenam prodiens fortioribus & acutioribus uſurus, ſi illud mihi fuerit concedendum. Hinc ingens iſtud dedecus, ut putavit, ſibi impactum ulturus Arnaldus, Simonium magno animi æſtu & indignatione excipit, tanquam hominem vanum, ineptum, tantum nomine tenus Criticum, omnis judi-*

cii

cii expertem, & merum nugatorem. Interim tamen ſenex iſte, famæ magis quam veritati conſulens, quaſi poſt tot labores in hac controverſia impenſos errorem fateri puduiſſet, illa recte & juxta artis Dialecticæ & ſedatæ rationis, quam ubivis illic ſibi arrogat, regulas, quaſi fuiſſet Doctor pluſquam Angelicus & plane infallibilis, judicandi facultate ſæpenumero deſtituitur: cujus rei eruditum quemvis & probum Lectorem ſequeſtrum & arbitrum adhibebo, qui difficultatum D. Steyaerto ab Arnaldo propoſitarum ſextam partem diligenter & accurate perlegerit. Dum autem præ faſtu, quo intumeſcit, & pro dictatoria authoritate * *ea argumenta, quæ adverſus Simonium attuli*, valde mala & ratione vacua, *in genere abſque aliqua probatione dixerit Arnaldus, calumniam hanc, tanquam ridiculam, injuſtam, & male fundatam, nuda hac relatione retorquere & aſpernari ſat erit.*

Hoc unicum præterea tum tui tum mei cauſa, ne Cyrilli famæ & honori quippiam male detractum putes, monendus es, Lector. Cum dixi in hoc libello verſus finem, me Cyrillum

* Il a bien reconnu, que cela n'eſtoit pas vray, puiſque ſon Adverſaire lui a fait reſponſes, & des repliques, quoi que fort méchants. *Difficultez propoſeés à M. Steyaert*, VI. *part. pag.* 293. *à Cologne M. DC. XCI.* On a contradit ſes preuves, quoi que ſans raiſon. *pag.* 300.

alterve Romanæ communionis obſcuri homunciones, ſed majorum gentium Scriptores non minus ingenii & eruditionis fama apud nos celebres quam apud ſuos fide, quotquot argumentum hoc ſibi tractandum ſuſceperint, adeo expreſſe tantaque cum confidentia iverunt aſſertum, ut, niſi quod veritas ut ut modeſta in totum nolit opprimi, deploratiſſimi ingenii quenquam haberi juxta eoſdem pene neceſſe ſit, qui vel minimum auſit refragari. Horum verba prolatis tabulis referre non videbitur inconſultum. Ita *Joannes Matthæus Caryophilus* titulo tenus Archiepiſcopus *Iconienſis* in refutatione Pſeudo-Chriſtianæ, ut ille admodum modeſtè pro pietate ſua ac zelo, quo efferveſcebat, loquitur, Catecheſeos *Zachariæ Gergani*, quam *Romæ* typis & impenſis Congregationis de propaganda fide A. C. 1631. in Lingua Græca vulgari edidit, pag. 126. ἐν ἐλέγχῳ τῆς ΚΑ βλασφημίας. Τὸ πλέον οἱ Ρωμαῖοι τὴν σήμερον κοινωνοῦσι τὰ βρέφη τοὺς φανερὰ εἰς τὴν ἐκκλησίαν βάπτοντας μόνον τὴν λαβίδα, καὶ ἐγγίζοντας τὰ χείλη τοῦ βρέφους μὲ τὸ αἷμα μόνον καὶ πιστεύουσιν ὅτι μόνον τὸ αἷμα νὰ σώνῃ διὰ κοινωνίαν σωστὴ τῶν βρεφῶν. *h. e.* eodem Authore Paraphraſta: *Certum eſt communionem infantibus dari in Eccleſiis publice a Græcis ſolo ſanguine, nimirum intingendo eorum labella, talemque communionem a Græcis haberi pro*

ſuffi-

ſufficientiſſima. Idem in cenſura confeſſionis fidei, editæ à *Cyrillo Lucari*, Patriarcha *Conſtantinopolitano*, *Romæ* 1631. 8o. pag. 49. eadem fere verba repetit: *Græci ad hunc diem infantibus etiam communionem dant, intingendo tantum labella eorum modiciſſimo ſanguine, & communionem hanc infantibus ſufficientiſſimam credunt*, h. e. *Græce*, prout illa verba ab eodem Authore redduntur, ἐν ἀποδοκιμασίᾳ καὶ κατακρίσει τῆς Κυρίλλου ὁμολογίας. *Romæ* 1632. 8o. pag. 99. Εἰθισται τοῖς Γραικοῖς μέχρι καὶ σήμερον μεταδιδόναι τῆς θειοτάτης κοινωνίας καὶ αὐτοῖς τοῖς ἀρτιτόκοις βρέφεσιν ἐπισταζομένου τοῖς ἁπαλοῖς χείλεσιν αἵματος ὀλίγου, καὶ ταύτην αὐτοὶ ἡγοῦνται κοινωνίαν αὐταρκεστάτην. *Jacobus Goarus* ordinis FF. *Prædicatorum* in commentariis in Εὐχολόγιον Græcorum, *pag.* 374. *b.* ubi poſtquam Hugonis Victorini verba citaſſet quæ hoc modo deſinunt, nempe, *ergo (ſi ſine periculo fieri poteſt) juxta primariam Eccleſiæ inſtitutionem Sacramentum Euchariſtiæ in ſpecie ſanguinis eſt tradendum pueris;* immediate ſubjungit, *quod & factitant Græci: nam cochleari, quod* λαβίδα *dicunt, ſacro ſanguine intincto, guttulam è calice eductam pueri lingua exſugendam apponunt.* Denique *Leo Allatius*, vir ſane *Græce* eruditiſſimus, ſed quem, dum in adverſarios quoſcunque animoſe invehitur, ſæ-

pe ſæpius transverſum rapit mala animi intemperies. *De Eccleſiæ Occidentalis atque Orientalis perpetua conſenſione*, lib. 3. cap. 9. ſect. 6. pag. 1049. *Euchariſtiæ Sacramentum, in quo verum Chriſti corpus & verum ſanguinem profitentur in pane fermentato conficiunt: & ſub utraque ſpecie ſumunt, qui communicant in Eccleſia: quod etiam pueris & infantibus ſub unica ſpecie vini concedunt.* Horum vero teſtimoniis, quibus nihil aut expreſſius aut teſtatius in cujuſpiam rei controverſæ veritatem firmandam dici potuiſſe primo aſpectu videtur, niſi de teſtibus tanquam inidoneis & malæ prorſus fidei in nuda facti relatione ſubmovendis quiſpiam poſtulaverit, appendicis loco ſubjungam, quod mihi, dum *Pariſiis* agerem, in colloquio cum quodam *Græcæ* Eccleſiæ Epiſcopo, quem illic conveneram, habito contigerit. Cum ille, hac de re conſultus, vinum Euchariſticum ſolummodo infantibus in os exhiberi in cochleari exſugendum acriter & dogmatice, quaſi omnes ritus Eccleſiaſticos, qui hodie in uſu ſunt, penitiſſime edoctus, contendiſſet, quo viri impetum aliquatenus coercerem, ſubmonui verba *B. Salvatoris*, quæ apud *S. Joannem* cap. vj. occurrunt, innuere videri, eandem percipiendi Sacramenti ſub utraque ſpecie neceſſitatem omnibus & ſingulis

lis impoſitum iri (neque enim infantes illic excipiuntur, neque apud ipſos Laici ab integra communione arcentur) ſe à difficultate, qua premebatur, hoc ludicro commento egregius cavillator expediendum credidit, infantes nimirum præ tenellæ ætatis infirmitatibus carnis veſcendæ neutiquam compotes eſſe, eamque non eſſe proprium eorundem alimentum, quaſi ſtomachi ad ſancti panis vel unicam particulam digerendam no ſatis caloris in ſe habuiſſent.

Unde vero iſte zelus & hæc confidentiaritum hunc Græcis vendicandi ortum habuerint, quibuſque de cauſis praxin hanc quaſi certiſſimam omniſque dubii expertem admitti adeo impendio velint, quos ſupra allegavi, Scriptores, neque obſcurum eſt neque incompertum. Hoc enim modo Eccleſiæ *Romanæ*, quam mutilati Sacramenti & violatæ inſtitutionis *Chriſti* ream peragunt ipſi quoque *Græci*, honori optime conſultum videbatur. Pari enim ratione *illis* vinum Laicis ac *his* panem infantibus ſubtrahere fas erit: quaſi hoc in utriuſque Eccleſiæ excuſationem, modo *Græci* id ſenſiſſent, aliquo cum juris prætextu debuiſſet proferri. Illud in præſenti controverſum nolo, nec hujuſmodi litibus memet immiſceo. Cum quæſtio ſit, uti loquuntur, *de facto*, Teſtes alterius partis,

quo-

quorum maxime intereſt ſuos ritus noſſe, in medium producam, deinde ritum hunc breviter & enucleate explicabo, ad quem ſi paulo accuratius attendiſſemus, error iſte, quem erravimus, facile caveri potuiſſet.

Metrophanes Critopulus, Protoſyncellus Patriarchalis Eccleſiæ *Conſtantinopolitanæ*, & poſtea ad Thronum *Alexandrinum* evectus, qui olim *Oxonii* ſtuduit, ἐν ὁμολογίᾳ τῆς Ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας diſertiſſimis verbis integram infantum communionem aſſerit, *cap.* 9. *p.* 98. *Helmeſtadii* 1661. 4o. Μετέχουσι πάντες ἑκατέρου εἴδους τῶν ἐν τῇ δεσποτικῇ τραπέζῃ· τοῦτ᾽ ἄρτου φημὶ καὶ τοῦ ποτηρίου, Ἐκκλησιαστικοὶ καὶ λαϊκοί, ἄνδρες καὶ γυναῖκες, ἀλλὰ δὴ καὶ αὐτὰ τὰ βρέφη ἀρξάμενα εὐθὺς ἀπὸ τοῦ ἁγίου βαπτίσματος μετέχει τοῦ λοιποῦ ὁσάκις οἱ γονεῖς βούλονται. *Omnes eorum, quæ in menſa Dominica ſunt, utramque ſpeciem participant, panis inquam, & calicis: Eccleſiaſtici & Laici, viri & fœminæ. Quin imo infantes ipſi, incipiendo ſtatim a ſacro Baptiſmate, deinde quoties parentes volunt, participant.*

Archiepiſcopus *Tiberiæ*, urbis *Thraciæ*, ubi *Macedoniam* attingit, prope *Strymona* ſitæ, a me ante biennium in collegio noſtro ſententiam Græcorum hac de re rogatus, quod antea inter colloquendum protulerit, ita ſcripto confirmavit, Οἱ ἡμέτεροι θειότατοι Πατέρες δι-

διετάξαντο, ὅτι μετὰ τὸ ἅγιον βάπτισμα ὁ νεοφώτιςος ἀξιέσθω τοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ κυρίου, ἵνα γένηται ἐν μέλος μετ᾽ αὐτοῦ, δηλονότι τέλειος Χριςιανὸς, ἐπεὶ καὶ συμμέτοχος ἐγένετο τοῖν δυοῖν μυςηρίοιν. i. e. *Diviniſſimi noſtri Patres ſanxerunt, ut poſt ſanctum Baptiſmum recens baptizatus ad gratiam participationis corporis & ſanguinis Domini admittatur, ut unum membrum cum ipſo fiat, nempe perfectus Chriſtianus, poſtquam duorum Sacramentorum fuerit particeps.* In eandem ſententiam quoque conſenſit tum frequenti colloquio, tum literis ad me datis reverendus D. *Joſephus Georgirenes*, *Archiepiſcopus Samius*, qui Eccleſiæ in uſum *Græcorum*, Londini commorantium nuper exſtructæ, hodie præeſt, cujus verba ita ſe habent: οὐ μόνον ἄνδρες καὶ γυναῖκες, νέοι καὶ γέροντες, μικροί τε καὶ μεγάλοι κοινωνοῦσιν ἐν τῇ Ἀνατολικῇ Ἐκκλησίᾳ τοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριςοῦ ὑπὸ δυοῖν εἴδοιν, ἀλλὰ καὶ αὐτὰ τὰ βρέφη ἤδη βαπτισθέντα προσφερόμενα ἐν τῷ ναῷ πρὸς τοὺς ἱερεῖς, καὶ αὐτοὶ ἔχοντες ἐν τῇ ἀριςερᾷ χειρὶ τὸ ἅγιον ποτήριον, ἐν ᾧ ἐςὶ τὸ αἷμα καὶ σῶμα τοῦ Σωτῆρος εἰς λεπτὰ μόρια, καὶ λαβίδιον ἀργυροῦν ἐν τῇ δεξιᾷ ἀναλόγως τῷ ςόματι τοῦ βρέφους, λαμβάνουσιν ὀλίγον τοῦ αἵματος ἔχοντος ἐν ἑαυτῷ ἀληθῶς καὶ τὸ σῶμα. Καὶ γὰρ ἐν τῷ λαβιδίῳ ἐςὶ ψιχία λεπτομερῆ, ἅπερ ἀρκοῦσι πρὸς τὴν μετάληψιν τοῦ ἁγίου σώματος τοῦ Κυ-

ρίου

ρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, κατὰ τὸ αὐτοῦ πρὸς ἡμᾶς παράγγελμα, τὸ ὁ τρώγων μου τὴν σάρκα καὶ πίνων μου τὸ αἷμα, ἐν ἐμοὶ μένει κἀγὼ ἐν αὐτῷ. *Non ſolum viri & mulieres, juvenes & ſenes, puſilli & grandævi, de corpore & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti ſub utraque ſpecie communicant, ſed etiam ipſi infantes ſacro fonte abluti & in Eccleſiam ad Sacerdotes allati. Hi vero, ſacrum calicem, in quo ſanguis eſt, & corpus Salvatoris in minutas partes diviſum, ſiniſtra, & argenteum cochlear dextra tenentes quod ori infantis congrue adaptari poſſit, paululum de ſanguine in ſe corpus vere habente inde tollunt. Etenim in cochleari ſunt quædam minutiores micæ: quod abunde ſufficit ad participationem ſancti corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti: juxta ipſius mandatum, qui carnem meam comedit, & ſanguinem meum bibit, ille in me manet, & ego in illo.*

Sed pluribus teſtimoniis neutiquam opus erit, cum modus iſte hunc ſacrum ritum conficiendi, ſi paulo exploratius examen ſubeat, rem det evictiſſimam.

Cum ſolis Clericis elementa poſt conſecrationem ſeorſim percipere ex hodierno uſu fas ſit, in communione Laicorum panis conſecratus in minutiſſimas partes fractus diviſusque calici immiſcetur, ut utrorumque ſimul fiant

fiant participes. Calix autem communicantibus neutiquam datur in manus, ut quod intus latet commixtum pitiſſando exhauriant: quippe illum apud ſe ſemper retinet Sacerdos, qui cochleari margaritas unam aut plures, vino ſupernatantes educit, & inde in os cujuſque ad hæc ſacra myſteria admiſſi immittit, hac verborum formula:

Μεταλαμβάνεις (ſeu μεταλαμβάνεταί σοι) τὸ τίμιον καὶ ἅγιον σῶμα καὶ αἷμα τοῦ Κυρίου καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, εἰς ἄφησιν τῶν ἁμαρτιῶν σου καὶ εἰς ζωὴν αἰώνιον:

Participas (ſive a te participantur) pretioſum & ſanctum corpus & ſanguinem Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum tuorum & in vitam æternam. Ad hunc modum integram adultorum communionem fieri in propatulo eſt: cum ergo in eundem calicem immergatur cochlear vino intingendum, quod illico eductum in os infantuli immittitur, quali arte aut cura vino immiſtæ particulæ ſeparabuntur? pariterque neutiquam fieri poſſe videtur, quo minus quædam micæ, utpote panis fermentati, qui ſolutioris eſt contexturæ & maxime friabilis, quæ ob exilitatem ſenſum fugiunt, cavitate cochlearis, licet perquam leviter madidi, adhæreſcant.

Aliud quoque monendus es, Lector, an-

 tequam

tequam dimittare; me in tot annis, antequam exſtrueretur S. *Sophiæ* templum, numerandis, (*a*) *Codinum*, quem tum præ oculis habebam, ſecure nimis & fide quaſi prodiga ſecutum fuiſſe; cum e *Cedreno* aliiſque, qui longe arctius a jactis fundamentis ad ejus Encænia intervallum aſſignant, ſatis liqueat, iſtud *Græculorum* recentioris ævi purum putum figmentum eſſe. Hæc ut noris mea intereſſe putavi, in cæteris cenſuram tuam, modo cum judicio & abſque omni invidia ac ſtudio partium fiat, æquo animo laturus. Quod jactanter aut temere a me dictum credi nolim. Cum enim per integrum hoc compendium, veritati, quantum in me erat, litarem, ſi forte in quibuſdam erraſſe compertus fuero, ejuſcemodi propoſiti auctoramento, ſi non plane munitus, ſaltem excuſatior, minuſque debitæ reprehenſioni obnoxius videbor. Vale, Lector, teque exorari patere, ut apud D. Chriſtum, communem omnium in illo credentium, ut ut ob pauculas in ritibus plane adiaphoris aut dogmatibus levioris momenti male fundatas diſſenſiones ſibi invicem quam maxime infeſtorum, Salvatorem, pro orbis Chriſtiani pace & concordia, pro fidei vere Catholicæ in *partibus infidelium* propagatione & incremento, pro deni-

(*a*) pag. 371.

denique afflictiſſima *Græcorum* gente Tu & ego junctis precibus, iiſque quidem importunis, intercedamus.

E Collegio *B. Mariæ Magdalenæ Oxon.* vj. Julii, MDCLXXVIII.

DE ECCLESIÆ GRÆCÆ STATU HODIERNO EPISTOLA.

Vir Inſigniſſime & Præſtantiſſime,

QUam longe diffundatur extra Patriam contribuleſque, quorum anguſto limite æſtuat neutiquam coercendus, divinus ille & vere Chriſtianus amor, quo pectus tuum plurimum flagrat; tum ex innumeris pene aliis, iiſque minime fallacibus, indiciis, tum potiſſimum ex illa ſolicitudine, quam de *Græcis*, ſub jugo miſerrimæ ſervitutis hodie ingemiſcentibus, prodis oſtendiſque, diu eſt, ex quo mihi ſit compertiſſimum. Non dignior ſane homine Chriſtiano cura, nec ſincerius certiuſve veræ pietatis indicium reperiri poterit, quam meminiſſe ſortis illorum, non ſine illo, qualem eſſe decet, mentis affectu, qui, licet eo miſeriarum hodie redigantur, ut inter tot humanarum viciſſitudinum ſeculis retroactis exempla huic geminum non exſtitiſſe, nec quicquam horridius deploratiuſve animo fingi poſſe facile & merito quidem credendum habeam, fidei tamen Chriſtianæ retinentiſſimi, haud ignobilem Eccleſiæ Catholicæ, ubi ubi per univerſum terrarum orbem diſſeminatæ, partem adhuc dum con-

conſtituunt. Itaque dum hac opella, quam in præſens meditor, quo pietati tuæ magis allubeſcat, pro virili allaboro, illa ipſa pjetas rem non omnino male proceſſuram eſſe mihi ſatis ſuperque ſpondet, cui ſecuriſſimo eſſe licet, honeſtum illud, quod ſancte præ me fero, propoſitum aliquale apud te pondus & auctoritatem ad veniam impetrandam habiturum, ſi quid invito & incautius quidem peccavero, ſi rem, quantum fieri oportuit, non præſtitero, ſi denique imbelles conatus langueant & plane deficiant, ſcopumque, ad quem illos mente integra, licet tremula indoctaque manu, pro Sacerdotii, quo aſpirante divina miſericordia fungor, ratione direxerim, neutiquam aſſequantur. Sed ne exſpectationi tuæ, quod dignitas tua non patitur, & a moribus meis plane alienum eſt, fraudem facere videar, in ipſis Epiſtolæ initiis mea maxime intererit, ut noris, Eccleſiæ *Græcæ* hiſtoriam a me non ſuſceptum iri. Argumentum illud, in quo exornando felici a quibuſdam nuperis Scriptoribus hactenus deſudatum eſt induſtria, ut ipſe quoque tractem, non ambitio, non vires mihi ſuppetunt: quippe nobilius eſt, quam ut id aggredi audeam, amplius diffuſiuſque, quam ut id complecti vel minimum ſperem. Hic ideo tantum præcipuorum dogmatum, quibus hodie fidem Chriſtianam explicatum eunt, rituumque ac cæremoniarum, quibus in officiis ſacris peragendis utuntur, ſeriem exhibebo: illa ex Confeſſionibus fidei, *Græcæ* Eccleſiæ nomine editis publicique juris factis, has e Liturgiis Euchologiiſque petiturus. Quicquid deinde ipſe, dum inter illos in Urbe principe degerem, tum familiari converſatione, qua aliqui ex Epiſcopis plurimum reverendis & Sacerdotibus me perquam humanitus dignati ſint,

tum propriis, quales quales erant, obſervationibus edoctus, in adverſaria conjecerim, id quod ad hodiernum *Græcorum* ſtatum ſpectat, in brevem commentariolum de induſtria contractum (pompam enim voluminis plane horreo) raptim expromam. Inde forſan, (neque illud mihi deſperandum videbitur) licet non Tibi omni ex parte & pleniſſime ſatisfiat, ſaltem ardor iſte ac acre deſiderium *Græcorum* res penitius explorandi aliquantillum levabitur, donec exoriatur aliquis e noſtris, qui per longam in *Oriente* moram, validis tum induſtriæ tum judicii præſidiis ad id operis aggrediendum inſtructiſſimus, vel potius, quod mallem, *Græcus* quiſpiam eruditus ex Archivis & monumentis ſuæ Gentis Eccleſiam *Græcam* tyrannide *Turcica* oppreſſam, tenebriſque deliteſcentem in lucem tandem aliquando proferat, ejuſque integram Hiſtoriam a capta Urbe, diæ veritati litans, denuo conſcribat.

Ex quo maximus ille Imperator *Conſtantinus*, idolorum cultu profligato, inſtitutionibuſque Evangelii in patriarum legum cenſum ubilibet receptis, religionis Chriſtianæ patrocinium tutelamque ſuis armis ſuſceperit, Chriſtiani Orientales (in quos tot lanienis, crucibus, equuleis, ac vivicomburiis, ultra tres annorum centurias, & fere perpetim & continuo, niſi quod infida tranquillitas ſubinde & aliquantiſper interveniſſet, ſævitum erat) ſtupenda rerum converſione ſupremum humanæ felicitatis & pompæ faſtigium attigiſſe videbantur, ut nihil fere ultra ſperandum relinqueretur. Hanc ſane felicitatem diſputandi pruritus, novorumque dogmatum ab *Ario* reliquiſque Hæreſiarchis adverſus veterem fidem introductorum inſanus ille amor haud parum ſolicitaverat, eamque

eorundem diſſidiis ſuiſque ſubdolis artibus penitus extinguendam, gentili cultu renovato, impendio cupiebat *Julianus:* ſed poſtquam * infeliciſſimus iſte *Apoſtata ὁ χριςομάχος* in expeditione *Perſica*, tertio imperii anno nondum completo, jaculo confoſſus, miſerrime pene juvenis periiſſet, Chriſtianorum res ſub *Joviano* iterum vigent, veteremque, quem amiſerant, paulatim aſſumunt ſplendorem. Quibus viciſſitudinibus utrinque ſtupendis prodigioſiſque, omnibus quam teſtatiſſimum id fecit Numen, ſibi ſuiſque rebus, ut feliciter in omne ævum perennent, integris illibatiſque moribus, vita, & fide proſpicere Chriſtianorum quam maxime intereſſe. At nihil horum ipſis curæ fuiſſe videbatur. Redintegratus ille felix rerum ſtatus, quem ſtabilem & æternum fore ſomniarunt, illorum animos emollierat: in ipſum Deum, qui hæc otia fecerat, procaces, luxui ſe totos dederunt; ſpreta fidei ſimplicitate, pro laſcivienti gentis ingenio in varia ſchiſmata & hæreſes amplectendas effuſiſſimi, in ſe invicem ultra Ethnicorum rabiem ſævierunt; Catholici quoque de opinionibus ritibuſque ſuis quam de probitate colenda ſolicitiores, ſolam pietatis formam, ipſius vi plane abnegata, certatim retinuere. Virtutis ſtudium refrixit, malis & inhoneſtis artibus, quibus privato commodo, cui unice incubuerunt, faciliusconſuleretur, adhibitis: mutuum illum amorem tolerantiamque, quam exigit Evangelium, odium internecinum extruſerat: denique religio in artem aut inane merumque nomen abibat, nec aliud indicium Chriſtianæ fidei apud ipſos relictum erat, niſi quod templa, altaria, cruceſque adhuc ſteterint. His flagitiis a ſacro illo nomine, quo inſigniti erant, longe ante & potiſ-

* *Socrat. Hiſtor. Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 21, 22.

ſimum ſub imperium *Heraclii* deſcivere Chriſtiani.

Interea tamen, quæ erat illorum ſtupiditas, nihil mali ſibi metuendum eſſe credunt homines perditi & lævæ mentis, quos Deus toties fruſtra monuerat; & devictis quoque ad id temporis hoſtibus nihil moleſtiæ ſibi de futuro faceſſendum eſſe inde ſecurius & præfidentius animo effingunt; non niſi de molli otio & triumphis cogitaturi. At! at! ut ſibi in rebus proſperis falſo blanditur humanum genus! quam præceps, quam fallax iſtud, quo intumeſcimus, conſilium! quam in lubrico ſtant res humanæ, in altum ſublatæ! Cum e *Perſide* victor rediiſſet exercitus, quis crederet abjectiſſimos mortalium *Arabes*, omniumque populorum mundi quaſi fæces, qui ſub *Heraclio* meruerant,neque numero, neque armorum peritia metuendos, ob negatum militiæ ſtipendium, in defectione iſta, quam fecerant,eo ferociæ proceſſuros,ut majus ab ipſis, quam non ita pridem a *Choſroe*, impenderet periculum?Cum enim *Mohammedi*,qui abjecta camelorum cura ſe afflatu divino correptum,& a Deo ad novam legem propagandam ope armorum miſſum ſubdole venditarat,aperta hac vi id aggreſſus, quod antea in pectore ſecretum habuerat, nomina dediſſent, mundanæ voluptatis præſtigiis irretiti, novæque ſuperſtitionis, quam amplexi ſunt, auctoramento, & vindictæ, quam acuebat contemptus, deſiderio efferati, quantas ſtrages ediderunt! * quam ineluctabili vi horrida ingruebat tempeſtas! Quanto furore in extremis imperii regionibus graſſati ſunt! quam brevi in gentem longe lateque ſparſam, finitimiſque terribilem, quam hoc dulce toxicum dementarat, evaſere, *Syria*, *Ægypto*,

* Vide apud *Theophanem*, *Cedrenum*, reliquoſque *Hiſtoriæ Byzantinæ* Scriptores in vita *Heraclii*.

gypto, *Paleſtina* jugo *Saracenico* ſubjectis! Tanto impetu fulminis ad inſtar omnia corripuit proſtravitque gens immaniſſima, ut in pœnam ſocordiæ & impietatis Chriſtianorum tanquam lues cœlitus immiſſa videretur. Ita ab his initiis in immenſum crevit iſtud malum, quod *Aſia minor*, *Ægyptus*, *Græcia*, reliquuſque orbis Chriſtianus demum ſenſit, *Turcis* ſeculorum decurſu in eandem gentem fidemque tandem coaleſcentibus. Non hic de bellicoſæ hujus Gentis ſucceſſibus agendum propoſui, quibus adeo facilem viam aperuere primum diſſidia, deinde luxuries & ignavia *Græcorum*. Hæc enim a *Laonico Chalcocondyla* reliquiſque fere innumeris Scriptoribus diligentiſſime recenſita habemus. Mihi hac proœmiali enarratione ad fontem miſeriarum, quibus obruuntur *Græci*, digitum intendiſſe ſat erit, non animo quidem, quod abſit, exprobrandi inſultandive, ſed eo magis ut abſolvatur divinus ille, quo regitur mundus, ordo; cum hinc illos extrema illa mala, quæ hodie patiuntur, ſibi accerſiviſſe abunde conſtet.

Ab irato hoſte victos male pati, cum commune bellorum fatum ſit; hac ex parte immoderatis effrænibuſque vindictæ & iræ affectibus quippiam concedendum videtur, ſi primo impetu, antequam deferbuerint, paulo inhumanius ſæviatur. Hoc autem peculiare habent *Græci*, quod doleant querantur que, *Turcarum* rabiem, tot annis elapſis, nequicquam miteſcere, utpote nulla arte, obſequio nullo molliendam, quam uſque acuit vanus ille, cui aſſuefiunt, cultus, æternamque eſſe ſpondet nominis Chriſtiani, quod præ ſe palam ferunt, odium; ſeque barbaris & efferis hominibus, a quibus religionis pars habetur in Chriſtianos inſoleſcere, ſervitutis duriſſimæ nexu mancipari,

cipari, qui ipſis, ne e medio tollantur, parcendum volunt, maxime ut illorum opera utantur, habeantque coram oculis quotidie, quod triumphorum materiem affatim & ubilibet ſuppeditet. In ſignum ſervitutis ſinguli capite ſuo quotannis cenſentur, ne pueris quidem exceptis, ſi decimum quartum ætatis annum exceſſerint. Soli Sacerdotes, quaſi in honorem ſacri illius, quo funguntur, Deo ita ordinante, miniſterii hoc factum ſit, una cum fœminis, ab hoc tributo pendendo immunes habentur. Vectigal hoc capitale, quod fere ad quinque Thaleros aſſurgit, *Turcice* nuncupatur *Yova haratch*; ne memorem innumera alia, quæ publico nomine ipſis irrogantur, tempore præſertim belli, utpote pro remigibus triremium Imperatoriarum conducendis, pro cunicularijs & advectionibus annonæ, pro pulvere tormentario, denique pro reliquo belli apparatu, aut exactiones rapinaſve, quibus a rapaciſſimis judicibus militibuſque, qui tanquam tot hirudines illorum ſanguinem exſugunt, continuo ſunt obnoxii.

At hæc omnia, quanticunque horroris plena videantur, nihili ſunt & facile toleranda, præ contemptu, præ ſannis, præ denique convitiis, quæ in os ingeruntur, quod ingenuis longe miſerrimum eſt, & ipſa morte acerbius. Aut forti, aut plane ſtupido animo iſtos eſſe oportere, qui hæc concoquant, facile dixeris; neque enim ſe religionemque ſuam a putidiſſimis illorum convitiis, quæ evomunt, tueri cuiquam impune licebit. Verum enimvero de libertate, deque exiſtimatione & fama tantopere diminutis non adeo tragice declamandum eſſet, cum victores felici ſucceſſu, pro innato humani generis vitio, elati, id jure belli ſibi faciendum eſſe autument, modo in tuto collocare-

locaretur religio, nulla vi animabus adhibita; modo filii ſeptennes aut ultra, ſacro lavacro tincti, e parentum ſinubus, prout Collectoribus, qui hujus impiæ luſtrationis cauſa *Græciæ* provincias circumeunt, libet, non eriperentur, in cultu *Mohammedico* inſtituendi: quorum pars, pro varia ipſorum indole, poſt tyrocinium ſub rigidiſſimis diſciplinæ exactoribus magiſtriſque depoſitum, armis tractandis operam navant; pars literis, quo ad muniis tum belli tum rerum civilium ſacrarumque fungendum ſint inſtructiores; cæteris exſectis in fideliorem Regii Gynæcei cuſtodiam, vel de quibus, utpote ſtupidioribus, deſperant, ad viliora officia detruſis.

Quantum vero dedecoris orbi Chriſtiano merito inurendum videtur, qui hanc crudeliſſimam animarum ſtragem inultam patitur! qui *Græcæ* Eccleſiæ in extremis fatiſcenti non ſuccurrit, nedum illachrymatur! Quanto furore vindicandum erat hoc flagitioſiſſimum, ultra omnem vim verborum, ſcelus, niſi gens quoque *Græca* obbruteſceret! Fruſtra enim in *Græcis* animum vel vindictæ capacem requiras; animoſos illos ſpiritus continua malorum, quibus ſuccumbunt, ſeries omnino ſuſtulit; mens languet flacceſcitque, plane degener, pariterque captiva ac corpus: dum, quod miſerius eſt, ſervituti longæ adeo addicuntur & aſſuefiunt, ut de ea fere nihil querantur, vixque anhelent ad libertatem. Adeo eos longa eaque acerbiſſima oppreſſit ſervitus, ut qui ob infractas animi vires, ob ingenium reliquaſque dotes ad imperium totius orbis nati olim videbantur, plane vecordes ſint, ne ſpe quidem relicta recuperandæ priſtinæ conditionis.

Dolendum eſt ſane ex his non paucos, quibus animi ſunt infirmiores, quam ut hoc triſte onus ſuſtineant,

ejurata

ejurata fide ſubinde in *Mohammedaniſmi* barathrum ſe dare præcipites. *Turcas*, licet alias viliſſimos, ipſis infeſtos atque eo nomine acrius quidem ferocientes ſatis duriter experti, ut eandem quoque in alios graſſandi vel vindictæ vel arrogantiæ vel ſolius levitatis gratia licentiam ſumant, non minus quam ut fœdis libidinibus ſine conſcientiæ ſtimulis, repreſſo jam pudore ac metu, cum id per leges liceat, laxius indulgeant, id facile apud ipſos in apoſtaſiæ argumentum cedit. Nemo enim ingenii adeo deplorati eſt, ut quaſi rationum momentis victus, *Mohammedaniſmi* furores & deliria amplectatur. At mihi ſerio mecum perpendenti, quam tot vitæ malis undecunque oppreſſa, in deſperationem ruat mens humana, quam in fidei *Chriſtianæ* doctrina parum ſint inſtructi *Græci*, quantumque ſubſidiorum plebi literarum penitus ignaræ, vel ad mediocrem ipſius intelligentiam, hac ex parte deſit, identidem ſæpe ſæpius mirari ſubiit, etiamnumque ſubit, Apoſtatarum numerum non fuiſſe auctiorem; & præſens ſatis edoctus tandem didici, ſolennem, divina gratia opitulante, feſtorum jejuniorumque celebrationem obſtitiſſe, quo minus univerſus *Oriens* dudum penitus a fide *Chriſtiana* defeciſſet. Hoc medio, ſi non unico, ſaltem præcipuo, de tot crudeliſſimis machinationibus adhuc triumphat religio *Chriſti*; ſacro hoc amuleto, ne nimium ſerpat virus *Mohammedicum*, ſecura munitaque. Redeuntibus enim, quibus intereſſe pia æmulatione denſis agminibus contenditur, his feſtis, hiſtoria natalium, mortis, & reſurrectionis *Chriſti*, cæteraque myſteria, quæ religionis ſummam conficiunt, facilius revocantur in memoriam: dum vero *Apoſtolorum* & quorundam e celeberrimis *Martyribus*, qui nulla vi, minis nullis,

non crucibus, non equuleis, non flammis, non beſtiis deterriti, pro fide *Chriſtiana* mortem oppetere & gloriæ & lucro eſſe duxerint, memorias colunt, tam ingentis zeli, tam indefeſſæ & pluſquam humanæ patientiæ exemplo, quod feſtis anniverſariis quaſi coram repræſentatur, fortius animantur ad ſuſtinendum quicquid eſt aſperioris moleſtiæ & difficultatis, quod *Turcarum* ferocia minatur infligendum.

Dies feſti celebriores, *αἱ ἐπίσημοι τῶν ἑορτῶν.*, hoc ordine recenſentur.

Septembris.

A quo menſe annum auſpicantur; (primo enim die eſt *ἀρχὴ τῆς Ινδίκτυ.*)

VIII. Τὸ γενέσιον τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκυ, Natalis beatæ & ſanctiſſimæ *Mariæ* Virginis genitricis *Dei.*

XIV. Ἡ ὕψωσις τῦ τιμίυ καὶ ζωοποιῦ ξύλυ τῦ σαυρῦ, (*a*) exaltatio pretioſi & vivifici ligni *Crucis*. *Græci* hujus feſti originem a temporibus *Conſtantini* & *Helenæ* male arceſſunt, ac ſi nihil inter *exaltatæ & inventæ crucis* celebrationem diſcriminis interceſſiſſet: inſigni errore hujuſce nuncupationis rationem inde petentes, (*b*) eo quod ſacrum illud *Chriſtianæ* fidei trophæum ſuper umbonem in altum collocatum, ut a conferta in templo adorantium ſacris ritibus intentorum multitudine e longinquo facilius videretur, *elevari*, *erigi*, &

(*a*) *Poſt biduum decimo octavo ſc. Kalendas* Octobris, *precibus muneribus effeci, ut vivificum atque ſalutiferum adorarem lignum.* Luitprandus in legatione ad Nicephorum Imperatorem. pag. 152.

(*b*) Βιοὶ Ἁγίων. pag. 13. Lingua Græca vulgari, Venetiis 1621.

& *exaltari* primus curaſſet Macarius Patriarcha Hieroſolymitanus. Longe juſtius ſolenne hoc feſtum obſervant *Latini* in memoriam *ſanctæ crucis*, quam poſt debellatum Coſroem, hoc opimo ſpolio onuſtus, e Perſide redux Heraclius Imperator A. Ch. DC. XXVIII. reportaverat, ut animadvertit Martyrologium Romanum. At plane videtur feſtum hoc longe ante apud *Chriſtianos* obtinuiſſe: licet ingens honoris & ſplendidi apparatus incrementum ex hoc magnifico triumpho acceſſiſſet.

XXVI. Ἡ μετάστασις τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου καὶ Εὐαγγελιστοῦ, ſancti *Johannis* Theologi & Evangeliſtæ migratio ſive translatio ab hac vita in alteram ſeu obitus. Ex Chriſti verbis de *S. Johanne* Cap. xx. 22. male intellectis, mentibus diſcipulorum obrepebat ſuavis iſte error, (quem ille, charum *Chriſto* caput, cujus potiſſimum intererat Chriſti hac in re mentem noſſe, corrigit v. 23.) quod S. Joannes a communi, quod omnes occupat mortales, fato eſſet eximendus. Magis mirandum videbitur, traditionem tam male fundatam, per duo aut tria ſecula non obſoleſcentem, a credulis prona mente excipi potuiſſe: quod ex Tertulliani *de anima* libro abunde patet. Illum vero diem ſuum eodem modo, quo cæteri ſolent mortales, *Epheſi* obiiſſe, ibique quoque fuiſſe ſepultum evidentiſſime oſtendit *Polycrates* iſtius urbis Epiſcopus in Epiſtola ad *Victorem* Epiſcopum Romanum apud (c) *Euſebium*, ut cæteros omittam, qui inſomnium iſtud de *tranſlatione S. Johannis* diſertis verbis & de induſtria convellere ſategerunt. Illum autem, quod Salvator prænunciaverat, conſtat, χριστοκτόνων Judæorum cladi & Urbis Templique Hieroſolymitani excidio

(c) Hiſtor. Eccleſ. lib. III. cap. 31.

dio ſolum ex Apoſtolorum cætu ſuperſtitem, uſque ad Trajani tempora vitam prorogaſſe, h. e. ad ſexageſimum octavum annum poſt paſſionem Dominicam, juxta calculum (*d*) S. Hieronymi. In re adeo per ſe manifeſta ac teſtibus evicta ultra omnem aut dubitandi aut contradicendi aleam, (*e*) delirii iſtius, quo ſe abreptos fuiſſe homines mentis ad ſimplicem veritatem parum attentæ, & in fabellis, quæ prodigio ſimiles videntur, excipiendis effuſæ, (nempe quod effoſſo tumulo ne reliquiæ quidem corporis ſuperfuiſſent, ac ſi illud relictis terris in cœlos jam denuo animatum firmata integritate migraſſet) paſſi ſunt, vel obiter meminiſſe abunde ſufficit in refutationem.

Octobris.

VI. Τοῦ Ἀποστόλου Θωμᾶ, Apoſtoli *Thomæ.*

IX. Τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου Ἰακώβου τοῦ Ἀλφαίου, ſancti Apoſtoli *Jacobi Alphæi.*

XVIII. Τοῦ Εὐαγγελιστοῦ Λουκᾶ, Evangeliſtæ *Lucæ.*

XXIII. Τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου Ἰακώβου τοῦ Ἀδελφοθέου, ſancti Apoſtoli *Jacobi*, fratris Domini, qui erat *Hieroſolymorum* Epiſcopus.

XXVI. Τοῦ μεγαλομάρτυρος Δημητρίου, magni *Martyris Demetrii*, qui juſſu *Maximiani* lanceis confoſſus, Theſſalonicæ Martyrii lauream adeptus eſt.

Novembris.

VIII. Τῶν Ταξιαρχῶν καὶ τῶν Ἀρχαγγέλων Μιχαὴλ καὶ Γαβριὴλ καὶ τῶν λοιπῶν, militiæ cœleſtis Præfectorum

 ſeu

(*d*) De ſcriptoribus Eccleſiaſticis in Joanne.

(*e*) Βιοὶ Ἁγίων p. 24.

ſeu Archangelorum, *Michaelis* & *Gabrielis*, & cæterorum.

XIII. Ἰωάννου τοῦ Χρυσοςόμου, *Johannis Chryſoſtomi.*

XIV. Τοῦ Ἀποςόλου Φιλίππου, Apoſtoli *Philippi.*

XVI. Τοῦ Ἀποςόλου Ματθαίου, Apoſtoli *Matthæi.*

XXI. Τῆς εἰσόδου ἐν τῷ ναῷ τῆς Θεοτόκου, ingreſſus B. *Virginis* in Templum, S. *Lucæ* cap. 2.

XXX. Τοῦ Ἀποςόλου Ἀνδρέου, Apoſtoli *Andreæ.*

Decembris.

VI. Τοῦ ἁγίου Νικολάου, ſancti *Nicolai*, Epiſcopi Myrorum in Lycia, & Confeſſoris ſub Diocletiano & Maximiano.

XII. Τοῦ ἁγίου Σπυρίδωνος ſancti *Spyridonis*, cui dexter oculus effoſſus, & ſiniſter poples ſuccisus, poſtea damnatus ad metalla: tandem interfuit Concilio Nicæno.

XX. Τοῦ Θεοφόρου Ἰγνατίου, ſancti *Ignatii*, qui ὁ Θεοφόρος dictus, de quo cognomento videſis præſtantiſſimi & plurimum reverendi D. *Epiſcopi Ceſtrienſis* vindiciarum Ignatianarum partem poſteriorem, Cap. XII.

XXV. Ἡ κατὰ σάρκα τοῦ Σωτῆρος Ἰησοῦ Χριςοῦ γέννησις, Salvatoris noſtri *Jeſu Chriſti* ſecundum carnem Nativitas. Ἡ γενέθλιος ἡμέρα τοῦ Χριςοῦ. Et quandoque pluraliter, τὰ Χριςοῦ γέννα.

XXVII. Τοῦ ἁγίου Πρωτομάρτυρος Στεφάνου, ſancti Stephani primi Martyris.

Januarii.

I. Τῆς περιτομῆς τοῦ Σωτῆρος καὶ τοῦ μεγάλου Βασιλείου, Cir-

Circumciſionis *Chriſti*, & *Sancti Baſilii* feſtum.

VI. Τὰ ἅγια ἐπιφάνεια ſive τὰ * θεοφάνια τοῦ Σωτῆρος ἐν τῷ Ἰορδάνῃ, feſtum Theophaniorum ſive Baptiſmatis Chriſti in *Jordane*. Quæ vera eſt & antiquiſſima hujus appellationis ratio: neque aliam agnovit Eccleſia *Græca*. Cæteræ duæ, nempe *ob manifeſtationem Chriſti* per lucidam ſtellam Magis factam, & *ob manifeſtationem divinitatis ſuæ*, quando mirabili illa aquæ in vinum converſione Diſcipulis & Cognatis Chriſtus τὴν δόξαν αὐτοῦ ἐφανέρωσε, S. Joannis cap. II. v. II. a Latinis poſtea erant ſuperadditæ. Quo die *Conſtantinopoli* poſt miſſam fit ὁ μέγας ἁγιασμὸς ſeu conſecratio & benedictio aquæ, potiſſimum in Baptiſmales uſus. Hanc aquam ab omni labe & putredine immunem per duos treſve annos manere opinantur *Græci*. Sed de hoc ritu poſtea ſuo in loco. Dicitur etiam ἑορτὴ τῶν φώτων ſive feſtum Luminum, ob eandem rationem. Φωτισμὸς enim antiquitus idem ac baptiſmus ſonabat.

XVII. Τοῦ ἁγίου Ἀντωνίου, ſancti *Antonii*.

XVIII. Τῶν ἐπισκόπων Ἀλεξανδρείας, Ἀθανασίου καὶ Κυρίλλου, Epiſcoporum *Alexandriæ*, *Athanaſii & Cyrilli*.

XXV. Γρηγορίου τοῦ Θεολόγου τοῦ ἐκ Ναζιανζοῦ, *Gregorii Theologi Nazianzeni*.

XXX. Τῶν τειῶν Ἱεραρχῶν Βασιλείου, Γρηγορίου, καὶ Χρυσοστόμου ἅμα, trium ſanctorum Archipræſulum, *Baſilii*, *Gregorii*, & *Chryſoſtomi*.

Februarii.

II. Τῆς ὑπαπαντῆς τοῦ Χριστοῦ μετὰ τεσσαράκοντα ἡμέρας,

* *Scribitur quandoque* τὰ θεοφάνεια.

ρας, occurſus *Chriſti* poſt XL. dies purificationis Virginis, ſancti *Lucæ* Cap. 11. quando ipſi obviam factus eſt *Symeon.*

XI. Ἁγίου Βλασίου, ſancti *Blaſii*, Epiſcopi *Sebaſtiæ.*

Martii.

IX. * Τῶν ἁγίων τεσσαράκοντα Μαρτύρων τῶν ἐν Σεβαστείᾳ τῇ λίμνῃ μαρτυρησάντων, quadraginta *Martyrum*, qui *Sebaſtiæ*, in Armenia minori in lacu paſſi ſunt ſub *Licinio.*

XXV. Ὁ Εὐαγγελισμὸς τῆς Παρθένου, Annunciatio B. Virginis.

Aprilis.

XXIII. Τοῦ ἁγίου, ἐνδόξου, μεγαλομάρτυρος Γεωργίου, ſancti, glorioſi, & magni Martyris *Georgii.*

XXV. Τοῦ Εὐαγγελιστοῦ Μάρκου, Evangeliſtæ *Marci.*

Maii.

VIII. Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου, *Joannis Theologi.*

XXI. Τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου καὶ τῆς ἁγίας Ἑλένης Ἰσαποστόλων, magni *Conſtantini* & ſanctæ *Helenæ*, *Apoſtolis æqualium.*

XXV. Ἡ εὕρεσις τῆς κεφαλῆς Ἰωάννου τοῦ Βαπτιστοῦ, inventio capitis *Joannis Baptiſtæ.*

Ju-

* *V. Martyrolog. Romanum.*

Junii.

XI. Τῶν ἁγίων Ἀποστόλων, Βαρθολομαίου καὶ Βαρνάβα, ſanctorum Apoſtolorum, *Bartholomai & Barnabæ.*

XIX. Τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου Ἰούδα, ἀδελφοῦ τοῦ Κυρίου, ſancti Apoſtoli *Judæ*, fratris Domini.

XXIV. Τὸ γενέσιον τοῦ Προδρόμου Βαπτιστοῦ, Natalis Præcurſoris *Baptiſtæ.*

XXIX. Ἡ τῶν Ἀποστόλων Πέτρου καὶ Παύλου ἀποτομή, (*f*) Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* obitus, ſive per martyrium conſummatio.

Julii.

XVII. Τῆς ἁγίας Μαρίνης, ſanctæ *Marinæ*. Videtur eadem eſſe cum *Margarita* Latinorum.

XX. Τοῦ προφήτου Ἡλίου, (*g*) Prophetæ *Eliæ.*

XXVI. Τῆς ἁγίας καὶ ὁσιομάρτυρος Παρασκευῆς, ſanctæ Martyris *Paraſceves*, cui (*h*) caput abſciſſum erat ſub temporibus *Antonini.*

XXVII. Τοῦ ἁγίου μεγαλομάρτυρος καὶ ἰαματικοῦ Παντελεήμονος, ſancti magni Martyris & Medici *Panteleemonis*, ſeu, ut *Romanum* Martyrologium habet, *Pantaleonis*, qui *Nicomediæ* ſub Maximiano martyrio coronatus erat.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

(*f*) *Uſque in Sanctorum Apoſtolorum religioſis cunctis celebrem diem.* Luitprandus p. 141.

(*g*) *Decimo tertio Kalendas Augusti, quo die leves Græci raptionem Eliæ ad cœlos ludis ſcenicis celebrant.* Luitprandus p. 146.

(*h*) Βιοὶ Ἁγίων. p. 317.

Auguſti.

VI. Ἡ μεταμόρφωσις τῦ Σωτῆρος, transfiguratio *Chriſti.*

XV. Ἡ μετάστασις ἢ κοίμησις τῆς Θεοτόκου. Emigratio ſive (*i*) dormitio B. *Virginis.* Latini feſtum *Aſſumptionis* vocant. In hujus vero fictæ *aſſumptionis* narratione ad nauſeam quoque ineptiunt *Græci*, inficetaſque de Angelorum *ſanctam Virginem* in cœlos ducentium pompâ & jubilationibus miſcent fabellas. Hujus feſti originem & inſtitutionem adſcribit (*k*) *Nicephorus* Imperator *Mauritio*, ſexto ſeculo exeunte.

XXIX. Ἡ ἀποτομὴ τῆς κεφαλῆς τῦ Βαπτιςῦ Ἰωάννυ, decollatio *Joannis Baptiſtæ.* Singulis fere anni diebus in Menologio adſcribuntur Sancti & Martyres, quorum memorias peculiari officio colunt. Inde grandis illa librorum Eccleſiaſticorum moles, in quibus ſuo tempore perlegendis Kalogeri, a mundanis negotiis abſtracti, tum pietatis, tum exercitii cauſa, ne otii tœdium & pœnam ſubeant, occupantur, ſibi ſolis in Monaſteriis ſuis vacantes, πλὴν ἄνευ μεγάλης δοξολογίας: h. e. omiſſa majori *doxologia*, & ſacra pompa longoque ceremoniarum apparatu. In feſtis vero ſolennibus, quæ ſunt generalioris uſus, a quibus nemo, niſi ægritudo aut ineluctabilis quædam neceſſitas impediat, abſque infamia & ſcandalo abeſſe poteſt, plebi indicitur ἀργία, ſive a ſervilibus miniſteriis feriatio, quod rubricæ Menologiorum indicant.

Sacrum illud officium, quod his diebus peragitur, per

(*i*) V. Balſamonis Epiſtolam ad Antiochenos de jejuniis, in monumentis Græcæ Eccleſiæ. vol. 2. pag. 506.

(*k*) Hiſt. Eccleſ. l. XVII. c. 28. vide etiam l. XV. c. 14.

per quinque aut plures horas durat : memini me in feſto ſancti *Demetrii* ſacris in templo viculi cognominis, quem *Turcæ Tatoula* appellant, trans *Conſtantinopolim*, ſeptem integris horis ſimul interfuiſſe : quo tempore finitis precibus ordinariis prælegebatur populo illius vita lingua vulgari, e *Synaxariis* & Symeone Metaphraſta deſumpta. Hoc enim apud ipſos ſolenne eſt, ut lectionibus tempori accommodatis enarrationes iſtæ hiſtoricæ, ſive de ſacris Scripturis, ſeu alicunde tranſlatæ, ipſorum, quorum vix milleſimus id legendo proprio Marte aſſequi poſſit, memoriæ firmius imprimantur. Frequentiſſimi vero ſunt Βιοὶ Ἁγίων, *(l)* ex verſione Maximi Epiſcopi Cytherenſis, & *(m)* Θησαυρὸς Damaſceni Theſſalonicenſis, in quo variæ ad pietatem adhortationes ſubinde inſeruntur, ita ut hic liber Homiliarum ſacrarum vicem præſtare poſſit, & denique *(n)* ὁ νεὸς Θησαυρὸς ejuſdem argumenti. Sacram diei ſolennitatem claudit auguſtiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum, quod ingenti cum apparatu celebratur, utpote non minima imo præcipua pars ipſius, quod nullo prætextu omitti liceat. Templa frequentes adeunt *Græci*, quiſque pro virili ſua munuſcula, puta panem, vinum, cereos, oleum, thus vel quippiam tale, quod in ſacris impendatur, uſibuſque Eccleſiæ quoquo modo inſerviat, Sacerdotibus exhibituri. Summo quidem mane cœtus vere antelucanos habent, exemplo veterum Chriſtianorum, quos *Plinius* Proprætor Conſulari dignitate in ſuis ad *Trajanum* Imperatorem literis, Epiſt. XCVII. *ſtato die ante lucem convenire, carmenque* Chriſto *quaſi Deo dicere*

(l) Venet. 1621.
(m) Venet. 1618.
(n) Venet. 1621.

cere ſecum invicem memorat; partim ut ſolenni ſacro per integrum tempus interſint, partim ut dimiſſa opportunius plebs, quam pietas illuc traxerat, ſuis rebus privatis melius attendat; potiſſimum, ut mihi quidem videtur, quo rem ſacram ſecurius agant, minuſque in iiſdem procurandis moleſtiæ a *Turcis* ipſis faceſſatur. Credo autem neminem, diverſæ licet communionis, (illud enim de aliis augurari fas erit, quod ipſe præſens ſæpe expertus ſum) cui pietas & religio Chriſtiana cordi ſunt, confertæ adorantium turbæ immiſceri poſſe, quin æſtuantibus miſericordia viſceribus in lachrymas, in gemitus, & in vota ad *Chriſtum* communem noſtrum Salvatorem ultro ſolvatur, ut hos ejuſdem fidei conſecraneos ex hac dura & acerbiſſima ſervitute, quam ſerviunt, exerta manu eripere tandem dignaretur. Pietatem in his ſacris ſolennibus peragendis comitatur erga pauperes liberalitas, in quam videntur effuſi, pene ultra quam res anguſtæ ſinant: quod probe compertum habent, qui ſorte quapiam miſerabili ad incitas redacti, literas a Patriarcha impetrant, hinc collatitiis eleemoſynis inopiam ſublevaturi. Interdum *Turcas* quoſdam horum cœtibus ſeſe immiſcentes intueri eſt, ut *Chriſtiani* catenati, ipſis in ſervitutem addicti, quos ſecum ferunt, ſtipem emendicent; ſed cum illud, quantulumcunque ſit quod colligitur, in Patronorum cedat peculium, horum ſortis, licet alias vere miſerandæ, perpaucos miſereſcit.

Feſtorum celebrium vigiliis noctes inſomnes agunt Sacerdotes, & Diaconi, cæterique Καλόγεροι ſeu Religioſi, precibus ſacriſque lectionibus vacantes. Ne vero intermittatur minuſque rotunde procedat ἡ Ἱεροδιακονία ſeu ſacrum hoc miniſterium ob vires ex intentione vocis diminutas, ſibi ipſis vicariam operam præſtant. Hæ

Hæ ſolennitates ſtatis diebus recurrunt; cæteræ a tempore *Paſchatis*, in quo aſſignando veteri *Paſchali* cyclo, qui a patribus *Nicænis*, præceſſionis æquinoctiorum parum gnaris, figebatur, hodie utuntur, omnino pendent.

Ἡ ἁγία καὶ μεγάλη Κυριακὴ τοῦ Πάσχα, ſancta & magna Dominica *Paſchatis*, τὸ Πάσχα Ἀναστάσιμον, *Paſcha Reſurrectionis*. Ἡμέρα Ἀναστάσεως ſive Ἀναστάσιμος. Dies *Reſurrectionis*. Hinc ob repetitam *Dominicæ* Reſurrectionis memoriam quælibet dies *Dominica* dicta quoque eſt Ἀναστάσιμος. Hoc die in templis aut in plateis in ſignum gaudii mutuique amoris ſe invicem oſculantur, hac præmiſſa ſalutatione, Χριστὸς ἀνέστη, *Chriſtus reſurrexit*; cui ab altero reſpondetur, ἀληθῶς ἀνέστη, *Vere reſurrexit*. Duabus feriis quoque ſequentibus idem mos obtinet. Dicitur quoque λαμπρὰ ob candidas fulgenteſque recens baptizatorum veſtes, juxta veterum Chriſtianorum inſtitutum.

Dominica poſt Paſcha ob veſtes eorundem innovatas, eadem cum Dominica in *Albis*, nimirum exutis, ſive Κυριακὴ (o) διακαινήσιμος ſive νέα vel καινὴ Κυριακή, nova Dominica, communiſſime vero ἡ Κυριακὴ τοῦ Θωμᾶ, Dominica *Thomæ*; ſive τῆς ψηλαφήσεως τοῦ Θωμᾶ, contrectationis *Thomæ*, ob Evangelii pericopen de S. *Thoma* lectam: S. *Johan.* cap. xx. & Ἀντιπάσχα.

Dominica ſecunda, ἡ Κυριακὴ τῶν μυροφόρων γυναικῶν καὶ Ἰωσὴφ τοῦ δικαίου, Dominica mulierum unguentum ferentium & *Joſephi* juſti, quo Chriſti corpus erat imbuendum, ob hiſtoriam Evangelicam de iis lectam, quod de ſequentibus dicendum eſt.

Dominica tertia, ἡ Κυριακὴ τοῦ Παραλύτου, Paralyti-

(o) Varie ſcribitur a ſequioris ævi Græcis, ut διακινήσιμος, διακαινίσιμος, & quandoque aliter.

ci, ἡ Κυριακὴ τῆς μεσοπεντηκοστῆς, ſive media inter Paſcha & Pentecoſten.

Dominica quarta, ἡ Κυριακὴ τῆς Σαμαρείτιδος, Dominica Samaritanæ.

Dominica quinta, ἡ Κυριακὴ τοῦ τυφλοῦ, cæci.

Feria quinta, ἡ ἀνάληψις τοῦ Σωτῆρος εἰς τὸν οὐρανὸν, aſſumptio Salvatoris in cœlum.

Dominica ſexta, ἡ Κυριακὴ τῶν ἁγίων Πατέρων, ſeu τῶν ἁγίων τριακοσίων δέκα καὶ ὀκτὼ θεοφόρων τῶν ἐν Νικαίᾳ, ſanctorum tercentum & octodecim Patrum deiferorum, qui in *Nicæa* convenerant.

Feria ſexta, omnibus animabus commemorandis dedicatur.

Ἡ Κυριακὴ τῆς ἁγίας Πεντηκοστῆς, Dominica ſacræ Pentecoſtes.

Die ſequente celebratur τῆς παναγίας καὶ ἀδιαιρέτου τριάδος ἑορτὴ, ſanctiſſimæ & individuæ *Trinitatis* feſtum.

Dominica poſt Pentecoſten, ἡ Κυριακὴ τῶν ἁγίων πάντων, Dominica *omnium Sanctorum*, a qua Apoſtolorum jejunii tempus numerandum eſt, uti mox videbitur.

Non parum quoque conſervandis Chriſtianæ fidei apud plebem reliquiis conducunt τῶν νηστειῶν καιροὶ διωρισμένοι jejuniorum occurrentes & ſtatæ vices, tum quæ hebdomadatim revertuntur. Horum enim ſunt retinentiſſimi, ac ad ea obſervanda tanta cum religione feruntur, ut Eccleſiæ leges hac ex parte ſancitas tranſgredi piaculum habeatur. Ita domuere affectus partim longa conſuetudo, partim pietas, ut tantum abſit, ut de jejuniis, ut ut aſperis, in longum tempus productis querantur, ut religionem, ne deinceps tota pereat, periclitatum iri, his jejunandi rigoribus, licet

ex

ex intuitu humanæ infirmitatis, paulo remiſſis, malis nec facile avellendis ſuſpicionibus credituri ſint.

Αἱ τέσσαρες νηστεῖαι τοῦ καθ' ἑνὸς χρόνου, Quatuor uniuſcujuſque anni jejunia ſolenniora.

Ἡ πρώτη μεγάλη καὶ ἁγία Τεσσαρακοστή. Primum magnum & ſanctum Quadrageſimæ jejunium ante *Paſcha*, quod a primis Eccleſiæ ſeculis deductum hodie a *Græcis* quam religioſiſſime obſervatur. Non niſi quadraginta octo dierum ſpatio abſolvitur, excluſis Dominicis; quo tempore, (niſi quod feſto Annunciationis B. *Virginis* & *Palmarum* piſcibus, quaſi εὐωχοῦντες ſive opipare epulantes, veſcantur) ab omni carne & piſcibus ἐναίμοις, (nam cæteris exſanguibus & ὀστρακοδέρμοις ſeu teſtaceis veſci licet) deinde poſt Τυροφάγον ab ovis, caſeo, reliquoque lacticiniorum apparatu ſibi prorſus abſtinendum eſſe pro more cenſent, utpote ξηροφαγοῦντες, i. e. ſiccioribus cibis utentes. Sabbatis & Dominicis permittitur vini & olei uſus: licet qui ſunt religioſiores, & potiſſimum Sacerdotes & Monachi, indulgentia iſta frui nolentes, ab utroque ſibi temperent. Quidam vero hac lege ſe adeo conſtrictos credunt, ut ab iis delibandis nedum tangendis abſtineant, ut ſi forte vel unica olei lactiſve guttula in cibos inciderit, eos tanquam profanos pollutoſque plane rejiciant; ut denique fame vel morbo perire, quam illicitis cibis veſci deſperata obſtinatione, ut ut ingenti neceſſitate preſſi, malint.

Dominica ante Septuageſimam, ἡ Κυριακὴ τοῦ Τελώνου καὶ Φαρισαίου; Dominica Publicani & Phariſæi, ob periochen Evangelii ſancti *Lucæ*, cap. XVIII. iſtam parabolam enarrantem, ita dicta. Tum melodice re-

citant, Φαρισαίȣ φύγωμεν ὑψηγορίαν, καὶ τελώνȣ μάθωμεν τὸ ταπεινὸν, ἐν ϛεναγμοῖς πρὸς τ͂ Σωτῆρα κραυγάζωμεν, ἵλαθι μόνε ἡμῖν εὐδιάλλακτε. *Phariſæi ſuperbiam fugiamus, & Publicani diſcamus humilitatem; in anguſtiis ad Salvatorem clamabimus, propitius eſto, O tu qui ſolus nobis es reconciliatu facilis.*

Septuageſima, ἡ Κυριακὴ τȣ͂ Ἀσώτȣ, Dominica filii prodigi; dicitur etiam ἡ Προφωνή. Inde & hebdomas Προφωνήσιμ☉, quia de futuro jejunio, proclamatione publica quaſi facta, ante monet; vel potius προσφωνὴ & φροσφωνήσιμ☉, uti apud *Nicephorum Calliſtum* ſcribitur.

Sexageſima, ἡ Κυριακὴ τῆς ἀπόχρεω, Dominica carniſprivii. Die enim ſequente a carne abſtinent, lacticiniis victitantes; nec ultra eam carnibus veſci licet; quippe ἡ κρεωφαγία cum ipſa terminatur.

Sabbato μνήμη πάντων τῶν ἐν Ἀσκήσει λαμψάντων, memoria omnium ob vitam *Aſceticam* inſignium.

Quinquageſima, ἡ Κυριακὴ Τυρινὴ ἡ Τυροφάγ☉, a caſei comeſtione nuncupata; quo nomine ova & cætera lacticinia comprehenduntur. Poſt eam fit Ἀποτύρωσις. Die enim Lunæ jejunium ſolenne incipiunt, lacticiniis non ultra indulgentes. Dicitur etiam, ἐξορία τȣ͂ Ἀδάμ, ſeu exterminatio *Adami* διὰ λαιμαργίαν ſeu ob luxum gulamque; ob periochen *Geneſ.* cap. 3. lectam.

Quadrageſima, ἡ πρώτη τῶν νηϛειῶν, Prima Dominica *ſacrorum jejuniorum*, ſive ἡ κυριακὴ τῆς Ὀρθοδοξίας ſive *Orthodoxiæ*, quia illo tempore celebratur ἡ μνεία τῶν ὀρθοδόξων Βασιλέων καὶ Πατριαρχῶν, memoria orthodoxorum Regum & Patriarcharum: quorum zelum in inſtaurandis imaginibus celebrant *Græci.* Hoc quoque die Εἰκονομάχȣς excommunicare ſolent: uti ex *Triodio* patet. H.

Ἡ δευτέρα Κυριακὴ, ſecunda Dominica.

Ἡ τρίτη, τοῦ τιμίου καὶ ζωοποιοῦ ξύλου, tertia pretioſæ & vivificæ crucis, quam *Codinus* de offic. aulæ CP. cap. 9. vocat Κυριακὴν τῆς Σταυροπροσκυνήσεως. Hac enim hebdomade oſcula cruci a Sacerdotibus expoſitæ frequentius imprimunt *Græci*, maximoque cum cultu & reverentia adorant.

Ἡ τετάρτη, quarta τὸ μεσονήστειον ἢ μεσονήστιμος κυριακὴ, media Quadrageſimæ Dominica.

Ἡ πέμπτη, Quinta.

Τὸ Σάββατον τοῦ ἁγίου Λαζάρου, Sabbatum *Lazari*, *i. e.* reſuſcitati.

Ἡ ἕκτη, ἡ Κυριακὴ τῶν βαΐων, Dominica *Palmarum*, ἡ βαϊοφόρος, (p) a geſtatione *Palmarum*.

Ἡ ἁγία καὶ μεγάλη ἑβδομὰς, ſancta & magna hebdomas, ſive ἡ τοῦ σωτηρίου πάθους ἑβδομὰς, ſalutaris *Paſſionis* hebdomas, quam jejuniis & vigiliis intenti maxime celebrant.

Ἡ ἁγία καὶ μεγάλη δευτέρα ἡμέρα, ſancta & magna feria ſecunda: quæ epitheta honoris gratia cæteris diebus apponuntur; uti

Ἡ ἁγία καὶ μεγάλη τρίτη, ſancta & magna feria tertia.

Ἡ ἁγία καὶ μεγάλη τετάρτη, ſancta & magna feria quarta.

Ἡ ἁγία καὶ μεγάλη πέμπτη, ſancta & magna feria quinta.

Veſperi in Patriarchio celebratur ὁ θεῖος καὶ ἱερὸς νιπτὴρ, uti vocant, ſive *ritus lavandi pedes*, cujus exſtat ἡ ἀκολουθία ſeu peculiare officium in Euchologio, in ſtupendæ humilitatis *Chriſti* beatiſſimi Salvatoris noſtri, qui iſthoc ritu erga diſcipulos fungi non dedignatus

(p) V. Luitprand. de geſtis Imper. & Reg. l. VI. c. 5. p. 110.

dignatus eſt, vere jam, ut S. *Pauli* verba huc transferam, μορφὴν δούλου λαβὼν, in ſe ſervili conditione ſuſcepta, (quo virtus hæc peculiariter admodum *Chriſtiana* exemplo ſuo redderetur commendatior) imitationem ac memoriam. Duodecim Monachorum aliorumve, juxta numerum Apoſtolorum, quos exhibent, quorumque nominibus durante ceremonia nuncupantur, pedes lavat Patriarcha linteo præcinctus, *Chriſti* vicem ſubiens. Sed dum ille ad *Judam* proditorem ipſius pedes loturus accedit, repræſentatio plane illaudabilis & ludicra videtur, ut geſtibus tantæ ſolennitati parum congruis ſcenicisque conſpectis plebs alias devota & ſerio intenta a riſu vix ſibi temperare valeat. Nec minima lis ſolet inter eos exoriri, quam forte tandem decidunt, quis *Judæ* προδότε perſonam ſuſtineat; cum ille hoc infami nomine per integrum deinceps vitæ tempus ut plurimum veniat dignoſcendus. Hic ritus a cæteris Metropolitis & Epiſcopis in ſuis Eccleſiis peragitur, & quandoque ab ipſis Sacerdotibus, ubi præſertim viget ingens *Chriſtianorum* multitudo. Qui hiſce ſacris ludis & ſpectaculis nimium quantum delectantur.

Feria ſexta, ἡ ἁγία καὶ μεγάλη παρασκευὴ, ſancta & magna Paraſceve, Πάσχα σαυρώσιμον, *Paſcha* crucifixionis, ſeu *Judaicum*, quatenus ipſi contradiſtinguitur Πάσχα Ἀναστάσιμον ſeu *Paſcha* reſurrectionis ſive Chriſtianum, ἡ τῶ ἁγιωτάτε πάθες ἡμέρα ſanctiſſimæ *paſſionis* dies.

Nocte, quam ideo τὴν Ἀγρυπνίαν τῶν ἁγίων παθῶν, ſanctæ paſſionis Vigilias appellitant, viri corporibus affligendis, orationibus, & Dominicæ paſſionis Evangelicæ hiſtoriæ intenti vacant: nec mulieres aut pueros, modo ſexennes ſeptenneſve, ab hoc rigidæ pietatis

tatis exercitio eximit ſexus aut ætatis teneritudo, juxta antiquiſſimum Chriſtianorum ritum, quem memorat *Euſebius* in hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. II. cap. XVII. cujus verba coram referre non pigebit. τί δεῖ τούτοις ἐπιλέγειν τὰς ἐπὶ ταὐτὸν συνόδους καὶ τὰς ἰδίᾳ μὲν ἀνδρῶν, ἰδίᾳ δὲ γυναικῶν ἐν ταὐτῷ διατριβὰς, καὶ τὰς ἐξ ἔθους εἰσέτι καὶ νῦν πρὸς ἡμῶν ἐπιτελουμένας ἀσκήσεις, ἃς διαφερόντως κατὰ τὴν Σωτηρίου πάθους ἑορτὴν, ἐν ἀσιτίαις καὶ διανυκτερεύσεσιν προσοχαῖς τε τῶν θείων λόγων ἐπιτελεῖν εἰώθαμεν; hoc eſt, clariſſimo *Valeſio* interprete. *Quid preterea hic attinet commemorare cœtus & virorum ac mulierum ſeorſim degentium ſtudia atque exercitationes, quæ apud nos etiamnum* (h. e. quæ a primis ſeculis ad noſtra uſque tempora adhuc durant; huc enim applicat ſtudia & ἀσκήσεις *Therapeutarum* a *Philone* memoratorum, quos *Chriſtianos* & *ſancti Marci* diſcipulos eſſe contendit,) *in uſu ſunt, precipue circa diem feſtum Dominicæ paſſionis, quo tempore jejuniis atque vigiliis & ſacrorum librorum lectioni impenſius vacare conſuevimus?* & poſtea καὶ μάλιστα τὰς τῆς μεγάλης ἑορτῆς παννυχίδας, καὶ τὰς ἐν ταύταις ἀσκήσεις *imprimis pervigilia magnæ ſolennitatis, piaſque in iiſdem exercitationes.* Et lib. VI. c. 9. κατὰ τὴν μεγάλην τοῦ Πάσχα διανυκτέρευσιν. Tertullianus lib. II. ad Uxorem. cap. 4. *Quis uxorem ſuam nocturnis convocationibus, ſi ita oportuerit, a latere ſuo adimi libenter feret? quis ſolennibus Paſchæ abnoctantem ſecurus ſuſtinebit?*

Inter ſacros hos, ut ita dicam, tumultus, quos tanta ac tam frequens vel in templo vel in plateis curſitatio ciet, tota nox antecedens peragitur. Si cuipiam interea hac παντελεῖ ἀσιτίᾳ ſive longa & acri abſtinentia deliquium pati contigerit, nihil quo languentem ſtomachum refocillet præter panem & aquam ad

uſque

uſque ſolis occaſum habet; cæteris, qui ob athleticum corporis habitum inediæ ſunt patientes, jejunium ad ſequentis diei veſperam ultro protendentibus. Deinde, appetente ante Sabbatum nocte ad cæremoniam Ἀποκαθηλώσεως *Chriſti*, ſeu actionis, qua videlicet ille e cruce detractus erat, exhibendam proceditur, quam ſequitur accenſis lucernis prælatis per templum imaginis *Chriſti* circumgeſtatio.

Feria ſeptima, τὸ ἅγιον καὶ μέγα Σάββατον, ſanctum & magnum Sabbatum. Hoc die ſemel tantum veſci licet; hora tertia poſt meridiem ad templum concurritur, ad preces nimirum veſpertinas obeundas, Monachis reliquiſque, qui illic tota nocte vigilaturi ſunt, ne præ languore deficiant, fruſtulum panis, ficos, dactyloſve ſecum ſumentibus. De cæteris ceremoniis, utpote ineptis puerilibuſque, dicere piget. Die illuceſcente, δόξα ἐν ὑψίστοις *gloria in excelſis* alta voce canitur; mox hymnus ille præclarus, quem præcinente Patriarcha repetunt duodecies, Χριστὸς ἀνέστη ἐκ νεκρῶν, θανάτῳ θάνατον πατήσας, καὶ τοῖς ἐν τοῖς μνήμασι ζωὴν χαρισάμενος: *Chriſtus ſurrexit ex mortuis, mortem morte conculcans, & vitam iis, qui erant in ſepulchris, impertiens:* quem hymnum ſingulis diebus a Paſchate ad feſtum uſque Aſcenſionis cantillant.

Ἡ δευτέρα νηστεία καὶ αὐτὴ τεσσαρακονθήμερος πρὸ τῆς κατὰ σάρκα τοῦ Σωτῆρος γεννήσεως. Secundum jejunium, etiam Quadrageſimale, ante feſtum natalis *Chriſti.* Cujus inſtitutionis rationem hinc petitam volunt, quod ſicut *Moſes* quadraginta dierum jejunio quaſi initiatus, tabulis legis a ſanctiſſimo Numine donaretur; ſic & Chriſtianos, ut pari cura & σκληραγωγίᾳ, quantum imitari licet, ad excipiendum τὴν Νομοδότην ſe componant, quam maxime oportere exiſtimant. Licet vero

a

a carnibus, butyro, & ovis penitus ſit abſtinendum, piſcium tamen, olei, & vini liber uſus eſt, ut plane mite & facile tolerandum habeatur hoc jejunium, ſi cum magna Quadrageſima conferas.

Ἡ τρίτη νηςεία τῆς Θεοτόκου, tertium jejunium B. *Virginis*, genitricis Dei. Duabus ſeptimanis abſolvitur hoc jejunium, a primo nimirum *Auguſti* ad ejuſdem decimum quintum: quo die celebratur ἡ κοίμησις τῆς Θεομήτορος, uti ſupra ex Menologio recenſuimus, ſeu *Dormitio Virginis*, hoc eſt, ut rem illam ex conſequenti & explicatius ſolent interpretari, ἡ ἐκ τῆς γῆς εἰς οὐρανοὺς μετάςασις, ipſius è terra in cœlum tranſlatio, ſeu ut *Latini* uſitatius loquuntur, *Aſſumptio*. Ob honorem & reverentiam feſti *transfigurationis Chriſti*, quod in hoc intervallo includitur, mediocris relaxatio ſolet indulgeri.

Ἡ τετάρτη νηςεία τῶν ἁγίων Ἀποςόλων, quartum jejunium ſanctorum Apoſtolorum, nempe *Petri* & *Pauli*. Hujus jejunii tempus incertum eſt, & (q) magis minuſve contrahitur pro majori aut minori Paſchatis in anteriora anni incidentia. Ineunt hoc jejunium feria ſecunda immediate poſt feſtum omnium Sanctorum, quod ad eorundem Apoſtolorum feſtum pertingit, quorum memorias hoc prævio jejunio colunt. Quouſque vero ſingulis annis duret, hic canon, uti fertur, ἀπαράβατος facili methodo oſtendit. Quot dies a feſto Paſchatis ad Maii ſecundum numerantur, totidem jejunio Apoſtolorum deputabuntur. Exemplo res fiet evidentiſſima. Anno *Chriſti* M. DC, LXIX. Paſcha incidebat in *Aprilis* undecimum; intervallum viginti duos dies complectitur, utroque nimirum ter-

(q) V. ſupra citatam Epiſtolam Balſamonis de jejuniis pag. 504. 510.

mino incluſo; ideo idem erit numerus dierum jejunii, uti ex calculo liquebit.

Mos antiquiſſimus ἐν τετράδι & παρασκευῇ ſeu προσαββάτῳ feria quarta & ſexta jejunandi adhuc ſtrictim retinetur: hic enim per univerſam Eccleſiam Chriſtianam olim obtinuit, partim ut religioſioribus *Judæis*, qui bis hebdomadatim (S. *Lucæ* cap. XVIII. v. 12.) ſibi ex præſcripto & traditione ſeniorum jejunandum eſſe cenſuere, pares ſint; partim, quod hos dies ſtationarios jejunio quaſi ſacrandi originem verius pandit, ut *Chriſti* proditi & crucifixi memoriam hac hebdomadaria celebritate commonefacti, pio quodam dolore proſequantur.

Eximuntur vero ab his ſemi-jejuniis αἱ τετράδες καὶ παρασκευαὶ trium celebrium feſtorum, h. e. τοῦ δωδεκαημέρου ſeu intervalli, quod feſtum natalium *Chriſti* & *Epiphaniorum* vigilias connectit; ne tanta celebritas ſummo cum gaudio a Chriſtiano populo peragenda, jejunio, doloris utique indicio, interpoſito turbata minuatur, τῆς ἑβδομάδος διακαινησίμου, quæ Paſchale, & τῆς ἑβδομάδος τοῦ ἁγίου πνεύματος, quæ Pentecoſtale feſtum ſequitur; pari quoque de cauſa; deinde, hebdomadum τῆς προσφωνησίμου & τῆς Τυροφάγου ante Quinquageſimam, ne cum *Armeniis* hæreticis, quos *Tetraditas* & *Jacobitas* nuncupant, qui ſolenne jejunium tunc agunt, ſibi vel minimum convenire videantur, ἀνατρέποντες, ut habet Triodium, τὸ ἐκείνων δόγμα τῆς τοιαύτης αἱρέσεως.

In his jejuniis indicendis ac tanta cum religione celebrandis, juxta vetus Eccleſiæ Catholicæ inſtitutum, hoc potiſſimum agit Eccleſia Orientalis, ut carne hac dura tractatione in ſervitutem redacta, mens ingenti pondere, quod illam ad terram uſque degravabat, ſoluta cœlum liberius

berius petat, rebuſque divinis melius vacet, exactiſque per hoſce rigidiſſimos pœnitentiæ actus comeſſationibus laſciviiſque, cœleſti corporis & ſanguinis *Jeſu Chriſti* convivio majori cum pietatis incremento ac fructu reficiatur. His enim aſperis exercitationibus initiandi ſunt, antequam ad divinorum myſteriorum communicationem admittantur & epoptæ fiant.

Occurrunt ſubinde ſingulares feriæ, quæ jejunia dicantur, νηστεῖαι προεόρτιοι ſeu anteferiales vigiliæ; cujuſmodi ſunt

Epiphaniorum vigilia, ut de aquis poſtero die conſecrandis a peccatorum carniſque labe & ſordibus purgati defæcatius bibant. Ἡγιασμένον autem ὕδωρ bibunt avidiſſime. Morem hunc aquis benedicendi (quod Græci per τὸ ἁγιάζειν exprimunt) olim obtinuiſſe patet ex (r) Homilia S. *Chryſoſtomi* περὶ ἁγιασμοῦ τοῦ ὕδατος.

Vigilia *Pentecoſtes*, & feriæ ſecundæ ſeptimanæ Pentecoſtalis, quo prævia hac purgatione γονυπετοῦντες ſeu flexis poplitibus precibus vacantes recipiendis Spiritus ſancti afflatibus aptiores fiant.

Vigilia τῆς Μεταμορφώσεως ſive *transfigurationis Chriſti.*

Vigilia feſti *exaltationis* S. *Crucis*, cujus figuram jejuni oſculantur.

Vigilia feſti decollationis S. *Joannnis Baptiſtæ.*

Sabbato, niſi unico, magno nimirum ſanctæ hebdomadis, jejunare adhuc nefas eſt. Alias iſto die per integrum annum feriari non tantum libet, ſed & ex veteri lege Eccleſiaſtica omnino oportet. (ſ) Ita enim ſta-

(r) Tom. v. Homil. 75. pag. 524.

(ſ) Vide quoque Conſtitut. Apoſt. l. vi. c. 22. & l. viii. c. 33. Concil. Laodicen. can. 16. Socratis Hiſt. Eccleſ. l. vi. c. 8.

ſtatuebat ſexageſimus ſextus Canon Apoſtolicus. Εἴ τις κληρικὸς εὑρεθῇ τὴν Κυριακὴν ἡμέραν νηστεύειν, ἢ τὸ σάββατον, πλὴν τοῦ ἑνὸς μόνου, καθαιρείσθω· εἰ δὲ λαϊκὸς, ἀφοριζέσθω. *Si quis Clericus deprehendatur die Dominico jejunans, aut Sabbato, præter unum ſolum, deponatur: ſi vero Laicus, excommunicetur.* Quem poſtea firmarunt Aſſeſſores ſextæ Synodi canone quinquageſimo quinto, διορθώσασθαι τὸ σφάλμα τοῦ τῶν Λατίνων, ut *Zonaras* loquitur, ἐπιχειροῦντες, *hunc Latinorum errorem emendare conantes.* Hinc enim diſſidium illud nunquam ſatis lugendum inter Chriſtianos Orientales & Occidentales aliquatenus quoque crevit.

In hac triſti rerum ἀναστασίᾳ, qua tanquam in ſpeculo veteris Eccleſiæ ante *Conſtantini* tempora faciem plane reflexam facile intueri eſt, nullas ſacras moles divite ornatu, uti olim, ſuperbientes, baſilicas nullas, quas effuſiſſima Imperatorum pietas conſtruxerat, *Chriſtianis* hodie ſupereſſe exſpectabis. Occupata Urbe, eæ *Turcis* pridem ceſſerunt, relictis devictæ genti, (utpote quorum intererat, ne tota deleretur) in ſacros uſus Eccleſiolis, iiſque tenebricoſis & ſtructuræ minus elaboratæ, quas vel præ faſtu, ut ipſis parum congruas, reſpuere videbantur. Quanquam vero ex indulgentia legum ſacris hiſce ædibus impune intereſſe liceat, quod ſibi merito gratulentur, cum hetæriæ ſive συνθῆκαι, primis ſeculis plane vetitæ eſſent; habent tamen, quod vitio vertant queranturque, ſibi de novis fabricandis, iiſque, quas vel deprædantur flammæ, vel labefactat terræ motus, vel ipſa vetuſtas conficit, inſtaurandis penitus eſſe interdictum; cujus edicti hoc unicum videtur propoſitum, ut fatiſcentibus templis fatiſcat quoque ſenſim, nulla vi adhibita, Chriſtiana

reli-

religio, quam ſacri cultus officia, ne extinguatur, ſovent. Quantopere ergo curandum eſt *Græcis*, ne rimas agant, vitiumque, quod ruinam minetur, faciant parietes: quod ſi partem, quod ſæpe nulla prævertendum eſt cura, intercidere contigerit, ingenti pretio expugnanda eſt *Turcicorum* Judicum pervicacia, qui avaritiæ & iniquiſſimis poſtulatis religionem prætexunt, antequam de iis in integrum reſtituendis ſit cogitandum.

Harum viginti ſex hodie *Conſtantinopoli* exſtant; quarum nomina hic apponam.

Πατριαρχεῖον, *Patriarchium.*

Ἁγίȣ Νικολάου ἐκκλησία, Eccleſia S. *Nicolai*, non procul, ſi bene memini, a templo S. *Sophiæ.*

Ἁγίου Γεωργίου, Sancti *Georgii*, ad portam ψαμαθίαν.

Παναγίας Χρυσαλειφειν͂ς, B. *Virginis*. }
Ἁγίου Νικολάου, ſancti *Nicolai.* } in plateis verſus *Propontidem* ſitis.
Ἁγίου Κάρπου, S. *Carpi.* }

Ἁγίου Κωνςαντίνου, S. *Conſtantini* in platea *Caramania*, non procul a ſeptem Turribus.

Παναγίας, B. *Virginis*, in platea *Belgradenſi.*

Παναγίας, B. *Virginis*, in platea nova.

Eccleſia prope portam Tormentariam.

Ἁγίου Δημητρίου, ſancti *Demetrii*, in platea, quæ Σαρμασίκιον dicitur.

Ἁγίου Γεωργίου, ſancti *Georgii* portam verſus *Adrianopolitanam.*

Παναγίας τῆς κυρίας τȣ͂ ȣ̓ρανοῦ, B. *Virginis dominæ cœli*, in eadem regione.

Ἁγίου Δημητρίου, ſancti *Demetrii*, ad portam Lignariam.

Παναγίας, B. *Virginis*, ad portam Obliquam.

Παναγίας εἰς Ἀραμπατζῆ μειδὰν, B. *Virginis*, in *Foro Arabge* dicto.

Παναγίας, B. *Virginis* prope *Balini*.

Ἁγίου Νικολάου Ἀχειδιανῶν, ſancti *Nicolai Achridianorum*.

Τὸ μετόχιον τοῦ ἁγίου τάφου, ſacellum ſancti Sepulchri.

Τῆς παναγίας τοῦ Μουγουλιοῦ, B. *Virginis*---

Ἁγίου Γεωργίου Ποτηρᾶ, S. *Georgii*- -

Ἁγίου Νικήτου, S. *Nicetæ*, prope ædes Principis *Walachiæ*.

Τῆς Παναγίας, B. *Virginis*, prope ædes Principis *Moldaviæ*.

Τῆς Παναγίας, B. *Virginis*, quæ ob diſtinctionem ἡ μικρὰ dicta, prope *Patriarchium*.

Ἁγίου Γεωργίου, S. *Georgii*, prope Φανάριον.

Ἁγίου Ἰωάννου, S. *Joannis*, μετόχιον Ἀλεξανδρείας, ſive ædicula, ut puto, Patriarchæ *Alexandrini*.

Septem Eccleſiæ prope κονδοσκάλι in regionibus, quæ attingunt portam Arenariam, ante duodecennium horrendo incendio perierunt. Ex his quaſdam inſtaurandi facultatem cum favore & gratia Caimacami ſeu Gubernatoris Urbis pene impetraturi eſſent, reclamantibus Imamis ſeu Turcicis Sacerdotibus, quibus audax iſtud facinus horrendum in modum diſplicuiſſet, ſpes iſtæ bonæ, quas in animis conceperant Chriſtiani, in irritum plane ceſſerunt.

In *Galata* ſex Eccleſiæ *Græcorum* numerantur.

Τῆς Παναγίας Καφατιανῆς, B. *Virginis*---

Τοῦ Χριστοῦ κρεμαστοῦ, *Chriſti pendentis*.

Ἁγίου Δημητρίου, S. *Demetrii*.

Ἁγίȣ Νικολάȣ, S. *Nicolai.*

Τȣ̃ Χειςȣ̃, *Chriſti* ad *Piſtaniam.*

Ἁγίȣ Ἰωάννȣ, S. *Joannis.*

In amplo illo carcere ad Occidentem, in quo Chriſtiani ad triremes damnati, appellente ad portum claſſe, includuntur, exſtat quoque Eccleſiola, in qua *Græcus* Sacerdos ſuæ communionis hominibus ſacra facere interdum permittitur: ut Eccleſias in oppidis & villis prope *Conſtantinopolim*, inque utriſque ripis Boſporanis ſitas jam non memorem.

Ex hoc indiculo facile compertum habebis, Baſilicas, quarum *vetus notitia* & *Procopius* cæterique Hiſtorici meminere, hodie deſiderari, utpote vel communi Urbis fato everſas, vixque e ruderibus, novis ædificiis in earundem ſolo exſtructis, amplius dignoſcendas, vel in *Moſcheas* a barbaris Victoribus converſas, qui quaſdam ad ornandam tum Urbem, tum religionem ſuam, in illa horrenda ſtrage, quam fecerant, pulchritudine & magnificentia operis allecti, integras, (quatenus ipſorum ſuperſtitio & *Turcici* cultus conſuetudo paterentur) reſtare voluere; effractis nimirum cancellis deformatiſque Sanctorum imaginibus, quas calculi & teſſellæ vitreæ auro tectæ admirando plane artificio compoſuerant, quod de Templis ſanctæ *Sophiæ* & ſanctorum Apoſtolorum ſpeciatim in notitia mea *Conſtantinopoleos* annotatum habes.

Ecce jam præcipuum *Turcicæ* ſuperſtitionis ſacrarium, ὁ μέγας τῆς τȣ̃ Θεȣ̃ λόγȣ σοφίας ναὸς, μέγιςός τε καὶ λίαν ἐυπρεπέςατ⊕, καὶ λόγȣ δύναμιν ὑπερβαίνων, *Nicephoro* Hiſt. Ecc. lib. XVII. cap. XX. (hæc enim nominis ratio cæteris potior mihi videtur in honorem nempe *Chriſti* ſapientiæ Patris) *(t)* μέγις⊕ ναὸς τῆς τȣ̃

(*t*) *Chronic. Conſtant. p.* 4.

τῦ Θεῦ λόγυ σοφίας, & rurſus *(u)* ἡ ἐπ᾽ ὀνόματι τῦ Θεῦ λόγυ κτισθεῖσα ἁγία σοφία, ὁ τῦ Θεῦ πανώνυμ@ ναός, recentioribus *Græcis*; a quibus non abludit *Procopius* L. 1. cap 1. de ædificiis *Juſtiniani*, Σοφίαν καλῦσιν οἱ Βυζάντιοι τὸν νεὼν ἐπικαιρεώτατα τῷ Θεῷ τὴν ἐπωνυμίαν ἀπεργασμένοι. Cui inſtaurando tanto amore, ſtudio tanto, quod pietas acuebat, toto, quem per ſeptendecim annos ſuppeditarat *Ægyptus*, reditu in id operis effuſo, incubuit *Juſtinianus* Imperator, quaſi hinc majorem ſibi gloriam, quam ex tot barbaris gentibus devictis, aut ex legum civilium innumeris in methodum facilem redactis conſtitutionibus ſibi pariendam eſſe duxerit, & quaſi illa præclariſſima tum militiæ tum domi geſta plane ſorderent nihilique haberentur, niſi hoc opus tanquam cæterorum apex & coronis acceſſiſſet. Quo abſoluto Imperatoria quidem cum pompa poſt ſolennes Deo Opt. Max. gratias hiſce verbis actas, Δόξα τῷ Θεῷ, τῷ καταξιώσαντί με τελέσαι τὸ τοιῦτο ἔργον, *Gloria Deo, qui me hac gratia dignatus eſt, ut tale opus conſummarem*, præ ingenti gaudio quaſi extra ſe abreptus, ritu triumphantis exclamaſſe *(x)* fertur, νενίκηκά σε Σολομών: *vici te Solomon*.. Ad ciſternam regiam ſtatuam quoque *(y) Solomonis* in ſolio ſedentis collocavit, κρατῦντ@ τὴν σιαγόνα αὐτῦ, καὶ ὁρῶντ@ τὴν ἁγίαν Σοφίαν, ὅστις ἐνικήθη εἰς μῆκ@ καὶ κάλλ@ ὑπὲρ τῶν παρ᾽ αὐτῦ κτισθέντων ναῶν Ἱερυσαλὴμ· *maxillam manu ſuſtinentis, oculis ad* S. Sophiam *converſis*,

(u) p. 12. *De hujus vere admirandi & longe celeberrimi* Templi *laudibus videſis elegantiſſimam* Manuelis Chryſoloræ *ad* Joannem Cantacuzenum Imperatorem Conſtantinopolitanum *epiſtolam, qua veteris cum nova* Roma *inſtituit comparationem*. Vide etiam *Choniatam*.

(x) Codin. de origin. Conſtant. *p.* 71. edit. Pariſ. 1655.

(y) p. 21. *in fine*.

verſis, eo quod magnitudine & pulchritudine Templum Hieroſolymitanum ab ipſo conditum illa ſuperaret: hoc emblemate nimirum innuens, *Solomonem*, ſi humano conſortio iterum redditus, pulcherrimum hoc & magnificum Templum omnibuſque numeris abſolutum contemplaretur, ſe Judice victum dolore & melancholia plane confectum iri. Omiſſo S. *Sophiæ* titulo, (quem tamen pene incorruptum retinent *Turcæ*, parvo a lingua Græca deflexu, Eccleſiam hanc promiſcue nuncupantes *Aia Sophia*) a Scriptoribus *Græcis* pro familiari apud omnes, dum de ea verba fecerint, uſu nuncupatur ἡ μεγάλη ἐκκλησία, Eccleſia magna, & interdum ἡ μεγάλη ἁγιωτάτη ἐκκλησία.

Alterum illud Templum, ναὸν τῶν ἁγίων Ἀποστόλων, Sanctorum Apoſtolorum, *(z)* ob λείψανα S. S. *Andreæ*, *Lucæ*, & *Timothei*, quæ illic repoſita perhibentur, olim celebre, cum prius e lignea materia conſtaret, marmoreum & ſplendidiſſimi operis fecit *(a) Theodora Juſtiniani* Uxor, cujus exemplo, quod ſemper coram habuit, uti tanto marito dignam conſortem decuit, ad illud moliendum urgebatur. Quod poſt captam Urbem *Græcis* primo conceſſum idem *Mohammedes* expugnator Urbis poſtea repetiit, utpote proprio nomine inſigniendum, uti conſtantiſſima *Græcorum* traditione proditum reperio, non quaſi, uti *Malaxus* in *Patriarchica Conſtantinopoleos* hiſtoria contendit, ob cædem hominis patratam, cum in regione deſerta ædibuſque deſtituta ſitum eſſet, metu illinc receſſiſſet *Gennadius Scholarius Patriarcha*, quod a veriſimili maxime abhorret.

Ambitum iſtum, quo *Patriarchæ* ædes includun-

 tur,

(z) V. Cedrenum ad annum xxx. Juſtiniani.

(a) Procop. lib. 1. cap. 4. & *Codin. de orig. Conſtant.* p. 73.

tur, olim occupabat Sanctimonialium cænobium; prope adſtat templum τῇ Θαναγίᾳ καὶ Παμμακαρίςῳ ſeu *ſanctiſſimæ & beatiſſimæ Virgini* conſecratum; quod ab iſto tempore ceſſit in Patriarchium. Dejectu collis ſinum *Galatenſem* verſus prope Φανάριον ſitum eſt, amplitudinis ordinariæ, nec ſtructuræ inelegantis, magnifico ornatu deſtitutum, tum ad moliendam invidiam, tum ne *Turcis* præda fiat. Ingens vero ipſi hinc conciliatur honos, quod *Alexius Comnenus Imperator* illic ſepultus jaceat, quod ſacræ reliquiæ, quas vidi, ſanctæ *Euphemiæ Martyris* aliorumque in loculamentis adhuc ſerventur; potiſſimum denique, quod inibi exſtet nigri marmoris fragmentum, tres pollices latum, duos circiter pedes longum, quantum conjectando aſſequi poteram, quod æreis cancellis clathratis, ne quid vel a pia vel a ſacrilega manu patiatur, muniunt. Integram *(b)* columnam, cujus hæc pars eſt, in *Pontii Pilati* Prætorio, ad quam *Chriſtus* alligatus flagris cædebatur, ſtetiſſe ab univerſis adeo firmiſſime creditum eſt, ut rem vel in dubium vocare apud ipſos plane nefas ſit. Hinc pulviſculi eraſi ob morborum fugandorum vim a pie credula plebe magni emuntur. Hos verſiculos in lamina illic inſculptos reperi.

Νῶτον δέδωκας εἰς μάςιγας Παντάρχα,
Ὡς καὶ πρόσωπον εἰς ῥαπισμάτων ὕβριν,
Σὴν μαςίγωσιν προσφέρω σοι οἰκτίρμον,
Ἵν' ἱλεώς μοι ἔιης λατρεύοντί σοι,

Καὶ

(b) De hac columna S. Hieronymus Epiſt. ad Euſtochium; *Oſtendebatur illi* (i. e. Paulæ) *columna, Eccleſia porticum ſuſtinens, infecta cruore Domini, ad quam vinctus dicitur & flagellatus.*

Καὶ μάστιγάς σου ἐξ ἐμοῦ ἀποστήσῃς,
Παναγιώτης Νικόσιος εὔχεται.

Cum hac in regione, utpote editiori, ſatiſque commoda, Moſcheam olim condendam propoſuiſſet *Selimus*, pene de hoc Patriarchio actum fuerat, niſi *Græci*, quos ſubitus hic caſus ingenioſos ac cautos fecerat, cum Principibus *Baſſis*, quibuſcum illud conſilium communicaverat Imperator, oblatis nummis ſubdole egiſſent, quorum ſuaſu a propoſito deſciſcens eam *Adrianopoli* curaverat exſtruendam.

Templa *Græcorum* non ſunt unius figuræ; quædam viſuntur τρουλλωτὰ & κυκλοειδῆ, quæ in medio rotundata ingenti τρούλλῳ aut tholo exſurgunt; quædam σαυρωτὰ, quorum partem alteram in longum productiorem altera inſtar crucis transverſim ſecat; pleraque vero τετράγωνα καὶ δρομικὰ, ſeu figuræ quadratæ & oblongæ, qualem habet Patriarchium.

Quo ſacri ritus in ſequentibus memorandi melius intelligantur, ſingulas Templorum perfectorum partes (ſi qua enim deſit, anguſtia loci aut quippiam incommodi in cauſa ſunt) brevi quaſi in tabella exhibebo.

Templum in tres partes pro triplici hominum, qui illic divini cultus cauſa conveniunt, ordine diviſum intueri eſt, uti obſervat *Symeon Theſſalonicenſis* in tractatulo περὶ τοῦ ναοῦ, quo ſingulis ſuis in locis conſiſtentibus omnis faceſſat confuſio. Hi autem ſunt.

(*c*) Οἱ ἱερεῖς *Sacerdotes* ſive οἱ τελεστικοὶ, quibus facultas competit, eorumque miniſtri.

Non omittam ipſius etiam converſationis hæreticæ deſcriptionem: quam futilis, quam terrena, quam humana

(*c*) Οἱ λαοὶ τῶν εὐσεβῶν εἰς τριάδα διαιρούμενοι.

mana ſit ; ſine gravitate, ſine auctoritate, ſine diſciplina, ut fidei ſuæ congruens. Inprimis quis Catechumenus, quis Fidelis, incertum eſt : pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant. Tertullian. de præſcriptionibus contra Hæreticos cap. XLI.

Οἱ πιστοὶ fideles, ſive (*d*) οἱ τέλειοι perfecti, qui ab omni noxa & cenſura immunes, communi, quod a baptiſmo & fide in *Chriſtum* habent, Deo ſerviendi jure in publico cœtu gaudent.

Οἱ ὄντες ἐν μετανοίᾳ, Pœnitentes, qui a Sacramentorum uſu ſecluſi pœnis ſpiritualibus ſubjacent. Quorum cenſu Catechumenos & malo ſpiritu abreptos obſeſſoſque olim repoſuit Antiquitas, utpote quibus plane interdictum erat Eccleſiam proprie ſic dictam ingredi, perfectiſque *Chriſtianis* ſeſe immiſcere. Pariter omne ſacrum templum, ut idem loquitur, τριαδικῶς θεωρεῖται, τοῖς πρὸ τοῦ ναοῦ, καὶ τῷ ναῷ, καὶ τῷ βήματι, *tripliciter diviſum conſideratur, in locum ante Templum, Templum ipſum, & Sacrarium.*

Exporrecta, quæ muris circum circa cingitur, planitie occurrit primo (*e*) Ἔμβολος *Embolus*, πρόθυρον, προπύλαιον, ἢ προαύλιον τοῦ ναοῦ. Αὐλὴ interdum quoque nuncupatur ſive veſtibulum, ex utriſque portæ lateribus procurrens, fornice tectum ; inde τῆς Ἁψῖδος nomen ; ſedilibus lateritiis ejuſdem longitudinis parieti affixis. Supra *Chriſti* aut B. *Virginis* Sanctorum-

(*d*) *Quid te a perfecto Chriſti ſervo ſeparat ? An alius eſt intinctis, Chriſtus, aliis Audientibus ?* Tertull. de pœnitentia ex editione Rigaltii. p. 144. cap. VI.

(*e*) Hic ſtabant οἱ προσκλαίοντες, quibus non permiſſum erat ingredi portas Eccleſiæ, quaſi pœnitentiæ candidati, populum fidelem, Eccleſiam ſacrorum officiorum cauſa ingredientem, lachrymis & gemitibus obſecrantes, ut Deum ipſis propitium reddere orando velint, & ut tandem ad eadem ſacra admittantur.

ctorumque, præſertim illius, (qui ideo dictus eſt Ἅγιος τῆς μονῆς ἢ ἐκκλησίας, *Monaſterii aut Eccleſiæ Sanctus)* cujus tutelæ & patrocinio ædes ſacra commendatur, imagines abſque amabili colorum miſtura, omni proportione inſuper habita, rudi admodum penicillo depictæ conſpiciuntur, ut polituram, quam dat ars pictoria, non minus quam reliquas ad ornatum cultumque vitæ humanæ elaboratas, *Græcis* hodie deeſſe, barbarie invecta, hinc conſtet.

Portam, quæ μεγάλη καὶ ἀργυρᾶ, h. e. *magna & argentea* dicitur, ingredienti non illico aperitur *Eccleſiæ* facies: obſtat alia quaſi porticus, Νάρθηξ. Intervallum hoc inde πρόναος quoque dictum, (quod licet τῷ ναῷ ſive navi proxime ſit contiguum, ab ipſa tabulato, quod homine aliquantulum depreſſius eſt, & interdum muro ſecluditur) in ipſo nimirum aditu, quo olim conſiſtebant Pœnitentes, quibus ex Eccleſiæ diſciplina ultra progrediendi gratia ante peractum pœnitentiæ tempus denegabatur, dicti Ἀκροώμενοι, id eſt, *Audientes*, qui proxime & magis introrſum ſtabant, juxta undecimum canonem Concilii *Nicani*, qui ſub *Tyrannide Licinii* lapſos tres annos ἐν Ἀκροωμένοις exigere juſſit; h. e. ut explicat *Zonaras*, ἔξω τῆς ἐκκλησίας ἵςασθαι ἐν τῷ νάρθηκι, καὶ τῶν θείων ἀκούειν γραφῶν, *extra Eccleſiam in Narthece ad ſacras ſcripturas audiendas conſiſtere:* & etiam *Catechumeni*, (uti paulo ante dictum erat, unde quandoque κατηχούμενα ſeu κατηχουμενεῖα nuncupatur) qui magis extrorſum verſus propylæum, utpote nondum ſacro baptiſmate initiati, collocabantur. Inter utroſque medii erant *Energumeni* & οἱ χειμαζόμενοι, niſi prorſus iidem ſint, (*f*) ut quibuſdam videtur, quos interdum confundi, inter-

(*f*) V. Ariſtinum in XVII. canonem Concil. Ancyrani.

interdum ab invicem diſtingui comperio. Hucuſque feretrum a ſandapilariis allatum deponitur, (neque enim in ſacratiora *Templi* deducendum eſt, niſi ſit cujuſpiam ſacrati hominis) donec ritibus funereis intus peractis, cadaver inde in cœmeterio mandatur ſepulturæ. A latere hujus conclave excurrit recipiendis mulieribus deſignatum: hinc in Templum per clathratos cancellos proſpectus eſt, quo fit, ut quicquid ſacrorum rituum illic peragitur conſpiciant, ipſæ interim inconſpectæ. Paulo intra *Narthecem* collocatur Κολυμβήθρα ſeu *Baptiſterium*, de quo poſtea in ſectione de ritibus *Baptiſmi.*

E *Narthece* per tres portas, quarum media, utpote amplior & longe præcipua, dicitur Πύλη ὡραία ſeu *Porta pulchra*, quæ quandoque, quod inter legendum caveri debet, cum Βασιλικὴ ſeu *Regia* confunditur, (pluraliter quoque effertur πύλαι ὡραῖαι) fit ingreſſus εἰς ναὸν ſive in templum. Lata area eſt pro modulo Eccleſiæ, & aperta, qua homines confertim ſtant adoraturi, niſi quod ϛασίδια, ſeu *ſedilia*, paulo altiora, (duobus brachiis, quibus innituntur ea occupantes, ut propemodum ſtare videantur, ſinum ambientibus,) numero admodum pauca utrinque collocentur. In Patriarchio eminentior ſedes (θρόνος ἢ σύνθρονον) prope Bema excipit Patriarcham; cæteræ reliquis Metropolitis pro dignitate Epiſcopatuum, & Principibus *Moldaviæ* & *Walachiæ*, ſi adſint, vel ſi qui adſint apud ipſos eminentioris notæ, honoris cauſa deputantur.

In quadris extra magis ad murum ſubſidentibus ex adverſo ſtant Cantores, hoc eſt, intervallo iſto, quod inter ναὸν & βῆμα paulo ſuperius intercedit; illic extat ἀναλογεῖον ſive ſuggeſtum, ubi ſacra ſcriptura po-

populo

pulo ab *Anagnoſtis* prælegitur ; prope *Soleas* , de quo tot incaluere controverveſiæ , quas hic non tracto , qui , ut mihi videtur , inter gradum , quo aſcenditur verſus Bema , & ipſos cancellos , & ad quem populus accedit , ſacram Euchariſtiam percepturus , omnino collocandus eſt. Μεσόναον quandoque concurrentibus in punctum ad umbilici modum ſaxorum projecturis in rotundam figuram contrahitur ; qua de cauſa media illa Templi pars elegantiſſime dicitur ὀμφαλός. In Eccleſiis grandioribus , quaſi in meditullio πρὸ τ̃ θύρας τῦ βήματος , hoc eſt , portæ ſanctæ oppoſitus erigitur *Ambo* , poſt quem olim florente juxta canonum rigorem diſciplina ſtabant οἱ ὑποπίπτοντες ſive *ſubſtrati* ; cujus vero (ſacris concionibus in deſuetudinem plane abeuntibus) jam rariſſimus eſt uſus.

Inde tabulatum a fornice ad pavimentum pertingens totam Templi latitudinem occupat , picturis & quidem inauratis (ut in quibuſdam Monaſteriorum Templis vidi) ornatum : cui tres portæ inſunt , quarum media Πύλη ἁγία ἡ βασιλικὴ , ſeu *Porta ſancta & regia* , non niſi raro & quibuſdam de cauſis aperienda , hoc eſt , (*g*) in ſolenni celebrium Veſperarum introitu , & Miſſæ tempore , quando Evangelii legendi cauſa exinde egreditur Diaconus , vel quando Sacerdos finita , qua circumgeſtantur Elementa jam jam conſecranda , proceſſione ſacrarium ingreditur , ea conſecraturus , vel denique quando Laici illuc accedunt , a Sacerdote ἐντὸς τῦ θυσιαστηρίου ſive in media porta ſtante Euchariſtiæ ſacra ſymbola percepturi. Honoris quoque cauſa numero plurali effertur , αἱ ἅγιαι θύραι , ſive τὰ ἅγια θυρεία. Extremæ ſunt minores , quarum ad latus ſiniſtrum

(*g*) *Philotheus Patriarcha* C. P. in diataxi.

ſtrum verſus Boream altera, altera ad dextrum Auſtrum verſus; hac via Diaconis cæteriſque inferioris ſubſellii Miniſtris in Bema eundem eſt.

Quod intus eſt, dicitur *ἅγιον Βῆμα*, eo quod illuc gradibus aſcendatur; vel potius, quod ſit *Chriſti* ſanctiſſimum tribunal, *ἐπηρμένον δὲ καὶ λαμπρότερον ὡς θρόνος Θεοῦ*, *ſublime & cæteris ſplendidius, ut thronus Dei*; ſive *θεῖον Ἄδυτον*, utpote ſacratiſſima Templi pars, ad quam ſolis Sacerdotibus reliquiſque, qui Altari miniſtrant, patet aditus, Laicis omnino inacceſſa omni tempore, quo ſacrum conficitur: inde *τοῦ Ἱερατείου* nomen inditum, juxta XIX. canonem Concilii *Laodiceni*, *μόνοις ἐξὸν εἶναι τοῖς ἱερατικοῖς εἰσιέναι εἰς τὸ θυσιαστήριον καὶ κοινωνεῖν*: quod optime, ut ſolet, & breviter admodum explicat *Ariſtinus*, *μεταλαμβάνειν ἐντὸς τοῦ βήματος μόνους τοὺς ἱερατικούς*. De quo S. *Ambroſius Mediolanenſis Theodoſium* Imperatorem, qui poſtquam munera obtuliſſet in Sacrario, divina myſteria percepturus, illic manſerat, pro Sacerdotali officio admonendum duxit. *Theodoritus* in Hiſt. Eccleſ. lib. 5. cap. 18. *Τὰ ἔνδον, ὦ Βασιλεῦ, μόνοις ἐστὶν ἱερεῦσι βατά, τοῖς δὲ ἄλλοις ἅπασιν ἄδυτά τε καὶ ἄψαυστα. ἔξιθι τοίνυν, καὶ τοῖς ἄλλοις κοινώνει τῆς στάσεως. ἁλουργὶς γὰρ Βασιλέας, οὐχ Ἱερέας ποιεῖ.* *Interiora loca, Imperator, ſolis Sacerdotibus patent, reliquis omnibus inacceſſa ſunt & intacta. Abſcede igitur, & una cum aliis conſiſte; nam purpura facit Imperatores, non Sacerdotes.* Omnem a ſe faſtum amoliens, id ex veteri more *Conſtantinopoli* licuiſſe, in facti excuſationem oſtendit Imperator, acri monito neutiquam exacerbatus, utpote cujus iram reverentia ſacri cultus repreſſiſſet. Antiquiſſimam hanc traditionem fatentur Patres Concilii ſexti in *Trullo* habiti canone LXIX. qui expreſſiſſime hac de cauſa videtur

detur conditus, μὴ ἐξέςω τινὶ τῶν ἁπάντων ἐν λαϊκοῖς τελοῦντι ἔνδον ἱερῦ εἰσίεναι θυσιαςηρίυ, μηδαμῶς ἐπὶ τούτῳ τῆς βασιλικῆς εἰργομένης ἐξουσίας καὶ αὐθεντείας, ἡνίκα δ' ἂν βουληθείη προσάξαι δῶρα τῷ πλάσαντι κατά τινα ἀρχαιοτάτην παράδοσιν· *Non liceat cuipiam ex Laicorum numero intra Sacrarium ingredi, ab eo tamen nequaquam prohibita poteſtate & authoritate Imperatoria, quando voluerit Creatori dona offerre, juxta quandam antiquiſſimam traditionem.*

Hoc olim adulationis cauſa & contra ordinationem Eccleſiaſticam indultum fuiſſe cum *Ambroſio* videretur, id ingenti, quo pollebat, zelo ſibi reformandum ille Vir ſanctiſſimus cenſuit. (*h*) *Sozomenus.* Ἔθος ἦν τοὺς Βασιλεῖς ἐν τῷ ἱερατείῳ ἐκκλησιάζειν κατ' ἐξοχὴν τῶν ὁρίων τοῦ λαοῦ κεχωρισμένους. κολακίας δὲ ἢ ἀταξίας εἶναι τοῦτο συνιδὼν, τόπον εἶναι Βασιλέως ἐν ἐκκλησίᾳ τέταχε, τὸν πρὸ τῶν δρυφάκτων τοῦ ἱερατείου. ὥςε τοῦ μὲν λαοῦ κρατοῦντα τὴν προεδρείαν ἔχειν. αὐτοῦ δὲ τοὺς ἱερέας προκαθῆσθαι· ταύτην δὲ ἀρίςην παράδοσιν ἐπήνεσε Θεοδόσιος ὁ Βασιλεὺς, καὶ οἱ μετὰ ταῦτα ἐκράτυναν, καὶ ἐξ ἐκείνου νυνὶ φυλαττομένην ὁρῶμεν. *Moris erat, ut Imperatores intra conſepta altaris in Eccleſia conſiſterent, honoris cauſa a populi multitudine ſeparati. Quod ex aſſentatione vel ex diſciplinæ corruptione profectum eſſe* Ambroſius *animadvertens, locum Imperatori in Eccleſia aſſignavit ante cancellos altaris, ita ut Imperator quidem plebem, ipſum vero Imperatorem Sacerdotes in Eccleſia præcederent. Hanc egregiam ordinationem Imperator* Theodoſius *comprobavit, & ſucceſſores ejus poſtea confirmarunt, atque ex eo tempore in hunc uſque diem obſervari eam videmus.*

Secretum hoc Penetrale & Sanctuarium nuncupatur Ἱλαςήριον *propitiatorium*, & θυσιαςήριον; (in memo-

E riam

(*h*) *Lib. 7. Cap. 25.*

riam expiatorii ſacrificii mortis Chriſti Salvatoris, quod illic ſymbolice repræſentatur) quem ſenſum apud antiquiſſimos Scriptores hoc vocabulum obtinuiſſe, quatenus nempe ſumitur pro ſuperiori templi parte, qua Altare collocatur, e S. *Ignatio* mihi videtur recte concludendum. Ita ille ſanctiſſimus Martyr in (*i*) Epiſtola ad *Epheſios*, μηδεὶς πλανάσθω, ἐὰν μήτις ᾖ ἐντὸς τοῦ θυσιαστηρίου, ὑστερεῖται τοῦ ἄρτου τοῦ Θεοῦ. *Nemo erret; niſi quis intra Altare, vel potius Sacrarium*, ſit, *privatur pane Dei*; & in (*k*) Epiſtola ad *Magneſianos*, πάντες οὖν ὡς εἰς ναὸν συντρέχετε Θεοῦ, ὡς ἐπὶ ἓν θυσιαστήριον. *Omnes itaque velut in unum Templum Dei concurrite, velut ut ad unum Altare*, i e. Sacrarium. Codex *Uſſerianus* habet πάντες ὡς εἷς εἰς ναόν. Ad quem locum in annotationibus n. 42. obſervandum jubet eruditiſſimus & reverendiſſimus Archi-Præſul, ναὸν & θυσιαστήριον rem unam & eandem denotare; ſed quod ipſius pace dixerim, omnino perperam, ut ex ſuperioribus ſatis patet. Deinde e conſueta formula & ex veteri verſione *Latina* & ex contextura verborum conſtat, iſtud εἰς, ἐπίβλημα librarii cum ſequenti particula εἰς confundentis, prorſus eſſe delendum, ac ὡς εἱς ἕνα ναὸν conjungendum. Licet alibi apud eundem ſenſu uſitato pro Altari, quo offertur ἡ ἁγία καὶ ἀναίμακτος θυσία, forte occurrat; ut in illo inſigni Epiſtolæ ad (*l*) *Philadelphienſes* loco, σπουδάζετε οὖν μιᾷ εὐχαριστίᾳ χρῆσθαι. μία γὰρ σάρξ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ ἓν ποτήριον εἰς ἕνωσιν τοῦ αἵματος αὐτοῦ, ἓν θυσιαστήριον, ὡς εἷς ἐπίσκοπος ἅμα τῷ πρεσβυτερίῳ καὶ διακόνοις τοῖς συνδούλοις μου, ἵνα ὃ ἐὰν πράσσητε, κατὰ θεὸν πράσσητε.

(*i*) *Edit. Voſſ. Pag.* 20.
(*k*) *Pag.* 34.
(*l*) *Pag.* 40.

φράσητε. *Operam igitur detis, ut una Euchariſtia utamini. Una enim eſt caro Domini noſtri Jeſu Chriſti, & unus calix in unitatem ſanguinis ipſius. Unum altare, ſicut unus Epiſcopus cum Presbyterio & Diaconis conſervis meis, ut, quod facitis, ſecundum Deum faciatis.* Videant Eruditiores, annon citra omnem dubii ſuſpicionem hinc evincendum ſit, primis ſeculis unicum in templis Altare tantum exſtitiſſe: quod alibi fuſius declarabitur.

Adytum hoc perquam honorificis inſigniunt appellationibus, quibus ingentem iſtam, qua verſus venerandum illud myſterium illic peractum feruntur, reverentiam atteſtantur; cujuſmodi ſunt ἅγια ἁγίων, καὶ καθέδρα καὶ τόπος θεοῦ καὶ ἀνάπαυσις, ἱλαστήριόν τε, καὶ τοῦ μεγάλου θύματος τὸ ἐργαστήριον, καὶ μνῆμα Χριστοῦ καὶ δόξης αὐτοῦ σκήνωμα. *Sancta Sanctorum, cathedra & locus Dei, & requies, propitiatorium, & magni ſacrificii officina, & monimentum Chriſti, & gloria ipſius Tabernaculum,* uti prælaudatus *Symeon* habet.

In hoc Bemate, ſeu ſacro Tabernaculo tria ut plurimum extant Altaria, quæ dignitate & uſu quam maxime differunt. Non enim in quovis horum a Sacerdotibus pro arbitrio & ut ipſis libet, conficitur Corpus *Chriſti*; id honoris ſoli altari medio cæteris ampliori, quod τὴν ἁγίαν, ἱερὰν, θείαν, μυστικὴν, (m) καὶ ἐπουράνιον τράπεζαν, ſeu *menſam ſacram, divinam, myſticam, & cœleſtem* vocant, peculiare eſt: hoc lapideum eſt & parieti quaſi adſcititio affigitur, Orientalem murum in extrema Eccleſiæ parte, ubi terminatur, verſus, ita ut quoddam minus intervallum interjaceat. Illic, uti in loco maxime proprio, reponuntur Evangelia, & tanquam memoriale mortis

(m) Uti in Liturgia S. Jacobi.

Chriſti ſemper imminet crux.

Ad latus ſiniſtrum Boream verſus altare minus eſt Πρόθεσις dictum, eo quod ſacra munera illic proponantur; (uti olim ſub veteri lege, ὁ ἄρτος τῆς προθέσεως juxta verſionem τῶν ό) cæteraque prævia fiunt, antequam Sacerdos, translatis inde ſymbolis ad medium Altare conſecrandis, ſacram λειτουργίαν celebrat. A ſacrario interdum tabulato ſecluſum reperi.

Ad latus oppoſitum Auſtrale eſt σκευοφυλακίου τράπεζα, ſive librorum, veſtium, quibus in ſacris obeundis induti prodeunt, & vaſorum, quorum in ſacro conficiendo uſus eſt, receptaculum. Locus iſte ſive conclave, (quandoque enim tabulato ſeparatur) dicitur μεσατώειον ſeu μετατώειον, & etiam διακονικὸν, ubi conſiſtunt Diaconi, cæterique inferioris ordinis, Sacerdotibus in ſacris miniſtraturi, & in rebus minoris momenti, puta cereis accendendis & aqua calefacienda ad ſacros uſus illic occupati. Hoc olim a *Scenophylacio*, quod extra Eccleſiam prope, ut videtur, poſitum erat, (inde παρεκκλήσιον dictum: quale hodie viſitur prope templum S. *Sophiæ*, exteriori muro palatii jam incluſum: uti etiam juxta parietinas magnæ Eccleſiæ *Pergami*, uti præſens obſervavi,) diſtinguebatur, cum tot vaſis cæteriſque ad ſacros uſus, prout occaſio tulerit, neceſſariis reponendis vix ſatis eſſet. Coram Altari uti & in gremio Eccleſiæ, plerumque interdiu accenduntur lampades. Collocantur in Eccleſia Patriarchali & Metropolitica in concha Bematis fere circumcirca ſedes, quarum eminentior a tergo Alteris in ipſo Bematis ſinu dicitur ἅγιον ἢ ἱερὸν σύνθρονον ſive *ſacer thronus*, quem cætera ſubſellia in illo inferiori receſſu circumambiunt: utpote quem Antiſtitum choro ſtipatus occupat Patriarcha aut Metropolita, vel inter

Sacer-

Sacerdotes aſſidens Epiſcopus: quo titulo ab illo ſedili, quod ille in Nao habet, diſtinguitur: unde *(n)* τὸ ἐνθρονίζεσθαι ἱερῷ συνθρόνῳ ſeu ἐνθρονισμὸς *Enthronizatio* in inaugurando Patriarcha vel Præſule inter ſolenniora recenſetur. Campanarum uſu civitatibus potiſſimum, quas *Turcæ* promiſcue habitant, interdicto, ut oportunius ac debito tempore interſint, lignei inſtrumenti, σημάντρου, quod malleo pulſant, ſonitu ad ſacras ædes convocantur. Hujus tum crebrioribus fortioribuſque tum languidioribus magiſque intermiſſis ictibus, qui prope ſunt, a λαοσυνάκτῃ ſive æditυο, quantum temporis, antequam ſacra fieri occipiant, reliquum ſit, an tum inſtet, nec diutius expectandum, admoniti, ſatiſque id uſu edocti, vel pueri intelligunt. Sed de *Græcorum* templis hactenus.

Virorum Eccleſiaſticorum, quos τοὺς ἐκ τοῦ ἱεροῦ Βήματος, eo quod ſolis ipſis Sanctuarium introeundi jus competere jam jam diximus, aut τοὺς ἐκ τῆς τάξεως ἱερατικῆς, utpote ſacra ordinatione rebus divinis adminiſtrandis addictos conſecratoſque aut τοὺς τοῦ ἱεροῦ καταλόγου ἢ τῆς ἐκκλησιαστικῆς καταστάσεως Periphraſtice nuncupant, varii ſuperſunt ordines, quorum ſinguli tum officio tum dignitate diſtinguuntur, ut ἰσοτιμία, cui tantopere ſtudent Novatores, plane damnata, vetus regimen Eccleſiaſticum, licet ſplendore & pompa ſeculari deſtitutum, in Oriente adhucdum vigeat. Quo, Deo Opt. max. ita miſericorditer ordinante,

(n) V. Syropuli hiſtoriam Concilii Florentini p. 3. & Symeonem Theſſalonicenſem in Euchologio p. 223. Hinc ἐνθρονίζεσθαι καὶ ἀνάγεσθαι εἰς τὸν θρόνον idem eſt ac fieri Patriarcham aut Metropolitam, aut Præſulem: & κατάγεσθαι τοῦ θρόνου idem ac deponi & exauctorari, Inde ſedes præcipuarum urbium dictæ, θρόνοι, & quinque ſedes Patriarchales καθολικοὶ καὶ οἰκουμενικοὶ θρόνοι.

confuſioni, quæ aliter gentem *Græcam* pridem involviſſet, hactenus cautum eſt, ut Eccleſiæ, licet miſerrime & horrendum in modum oppreſſæ, faciem, diſciplina veteri relicta, hodie ubivis ſit intueri. Horum ſtatum brevi & ſigillatim enarrabo, ἀπὸ τῆς τῶν θρόνων τάξεως Ἀρχιερατικῆς ſeu dignitate Patriarchali orſurus.

Quo Patriarcha *Conſtantinopolitanus* ſummam, quam obtinet, dignitatem magis decore tueatur, illudque tributum, quod fiſcus Imperatorius quotannis rapit, additis quoque muneribus, quibus Principes Baſſæ mulcentur, ut integra religione liberius gaudeant Chriſtiani, ſolvat, non modico reditu opus habet: (is fortean ad quadraginta millia Thalerorum plus minus aſſurgit,) de quo corradendo variis modis conſulitur. Junctis enim operis enitendum eſt, ut communem illam religionis, quam ſuſtinet ac moderatur, rem ſtrenue & feliciter agat tractetque. Ipſi ideo univerſi Metropolitæ, qui ipſius juriſdictioni ſubſunt, pecuniis data proportione numeratis, pro diſtrictuum, quos regunt, amplitudine ſuppetias ferunt; illis vero pro Eccleſiarum numero Sacerdotes. Ad hunc ſacrum cenſum pro more indictum colligendum a Patriarcha deputatur Ἔξαρχος ſive *Legatus*: urgente vero neceſſitate ipſe Patriarcha provincias & inſulas circumit, ἐπισκέπτων τὰς ἐκκλησίας. *Conſtantinopoli*, quod de reliquis Metropoliticis ſedibus pariter dicendum eſt, matrimonium nemini contrahendum eſt abſque venia, quam pecunia facile procurat, impetrata. At ab Epiſcopis & Presbyteris ordinandis non leve, quod ad publicas rationes ſpectat, emolumentum percipitur. Quotquot etiam melioris conditionis ſunt, morituri, tum pietatis tum benevo-

lentiæ

lentiæ affectu, legatis erogandis ſublevandæ Eccleſiæ inopiæ proſpiciunt. Subortis quoque litibus ad Patriarchæ tribunal recurritur, cujus deciſioni nemo audet refragari; ſingulis ad faciendum judicatum, pœna excommunicationis, quam morte pejus horrent, immorigeris intentata adactis. Siquis autem male pertinax favorabiliorem ſententiam expectaturus, litem coram Judice *Turcico* conteſtatur, omni cognitione Patriarchali inſuper habita, illico fit ἀκοινώνητος, neque ſic impune abibit, quin ficto crimine oneratum, profuſis largitionibus, quo temeritatis & impietatis noxam luat, ad triremes damnandum curabunt. Unde tum ex conſcientia tum ex metu a ſe ipſis in foro extraneo poſtulandis penitus abſtinetur, niſi id a quoquam fiat in futuræ, quam meditatur, Apoſtaſiæ præludium. Hunc ſacrorum Antiſtitem quotquot ſunt *Græcæ* communionis per totum Orientem venerantur Chriſtiani. Hunc quoque longis itineribus interdum adeunt cæteri Patriarchæ vel ipſorum deputati, illum conſulturi, quo communi conſilio res ad Eccleſiam ſpectaturæ felicius procurentur, juribus interim horum unicuique, quæ antiqui canones ſanxerant, integris manentibus.

Ita Patriarcha *Alexandrinus*, peculiarem in *Ægypto*, *Libya*, & *Arabia* exercet juriſdictionem. *Antiocheno* ſubſunt Eccleſiæ *Syriæ* & *Meſopotamiæ*, & Provinciarum, quæ extremos *Aſiæ* minoris fines attingunt, puta *Iſauriæ* & *Ciliciæ*. *Hieroſolymitani* diſtrictus *Paleſtina* & confiniis *Arabiæ* terminatur. Patriarchatus vero *Conſtantinopolitanus*, ut dignitate præcipuus eſt, ita per longiores terrarum tractus diffunditur; quippe omnes fere *Anatoliæ*, totius *Græciæ*, inſularum *Turcicæ* ditionis, quæ in *Ægæo* & *Jonio* mari ſparguntur, *Albaniæ*, *Dalmatiæ*, *Podoliæ* ſive minoris *Ruſſiæ*, *Wa-*

lachiæ, & *Moldaviæ* Eccleſias ſubjectas habet. Quod enim ad cæteras regiones, quæ ad Septentriones ſitæ, verſus montem *Hæmum*, *Danubio* finiuntur, ſpectat, ſui juris ſunt & αὐτοκεφαλίαν retinent, juxta veterum Conciliorum canones Imperatorumque conſtitutiones: puta Metropolita *Achridarum*, cui primam dignitatem, ſummum ſacerdotium, ſummum faſtigium pro amore, quo erga Patriam ferebatur, contulerat (*o*) glorioſiſſimus ille Imperator *Juſtinianus*: (Hic *Juſtinianam* primam cæteroſque *Bulgariæ* tractus octodecim Epiſcoporum ope regit) & Metropolita (*p*) Πεκίου *Pecii*, civitatis *Serviæ*, cujus auctoritas in univerſam *Serviam* a ſedecim Epiſcopis ſub illo adminiſtratam exercetur. Quibus accenſendi ſunt *Georgiæ*, *Mengreliæ*, & *Cypri* Metropolitæ. In *Cypriana* autem provincia quatuor tantum Epiſcopi Suffraganei numerantur.

Iſto jure, quod in ſedem *Conſtantinopolitanam* ſynodi *Chalcedonenſis* canone penultimo authoritas derivaverat, innixus, iiſdem titulis, quibus olim, dignitatem ornatum & communitum it hodiernus Patriarcha: ita enim chartis inſcribit, Ἐλέῳ Θεοῦ Ἀρχιεπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως νέας Ῥώμης καὶ οἰκουμενικὸς Πατριάρχης, *Miſericordia Dei Archiepiſcopus Conſtantinopoleos novæ Romæ, & Oecumenicus Patriarcha.* Neque enim hac ex parte Pontifici *Romano* cedit, quaſi eaſdem lites, quas de Oecumenici Patriarchæ titulo olim agitarunt Anteceſſores, *Joannes* & *Cyriacus*, adhuc movere in animo habuiſſet; προνομίαν & προεδρείαν (licet dudum peſſum ierit ipſius pompa ſecularis) ob

ſedem

(*o*) *Authentic. Collat.* 2. *Tit.* 6. *Novel.* XI.

(*p*) Sive Πεσκίου. Ita ſcribitur ἐν τῇ νέᾳ ἐκθέσει ad finem Codini. pag. 419.

ſedem Imperii, relicta veteri *Roma*, per tot annos illic ſitam, ambitioſa paupertate vindicaturus.

Diu eſt, ex quo nemo ad dignitatem Epiſcopalem evehatur, niſi qui cœlibem vitam profeſſus, regulas Sancti *Baſilii* voto obligatus ſequitur: inde quaſi gradatim thronum Patriarchicum aſcendit, qui hoc cum reliquis Epiſcopis commune habet, ut qui ipſi famulantur, officiaque domeſtica obeunt, ſacro diaconatus ordine initientur, quo dignitas ſanctior appareat, ſolis ſacratis hominibus & a ſeculo omnino avulſis ſtipata.

Ne ingenti negotiorum tum civilium, tum Eccleſiaſticorum mole obrutus fatiſceret, aut eorundem variis iiſque intricatis difficultatibus diſtractus, pro tribunali minus æquam proferret ſententiam Patriarcha, habet quaſi a latere perpetuos Comites & Aſſeſſores, duodecim e Primoribus gentis ſuæ, quos ἄρχοντας τῆς ἐκκλησίας nuncupant, iiſdem, quibus olim ante debellatum imperium, titulis ambitioſe ſuperbientes, quorum opera, conſilio, partitiſque inter illos pro diverſa officiorum ratione muniis, res Græcorum adminiſtrat. Cujuſmodi vero ſint e Codino, qui hoc argumentum juſto volumine tractaverit, ſi tibi volupe eſt, facile diſces; neque enim, ut ea recenſeam, compendii ratio patitur.

Quiſquis Patriarcham qualicunque de cauſa adit, illum hiſce titulis quaſi debitis, παναγιώτατε καὶ μακαριώτατε, ſive ἡ ἁγιωσύνη καὶ ἡ μακαριότης σου, præfatis compellat, ne Græci hac ex parte Romanenſibus in colendo Pontifice cedere videantur.

Poſtquam ſanctiorem propagandæ & ornandæ religionis curam publicique commodi ſtudium privati affectus & inſanus iſte amor mundanæ gloriæ extruſiſſent, de dignitatibus Eccleſiaſticis prenſandis ingenti æmu-

latione, quæ in lites ſanguineas interdum erumpens omnia commiſcuit, certatum erat: veſaniam hanc, quam conciverat ambitio, miſere luebat Eccleſia, inteſtinis his diſcordiis quam hoſtium atrociſſimorum rabie pejus habita. Armis hinc petitis pace profligata peſſum ibat religio, quam ſannis ludibriiſque fecerant obnoxiam: hinc Chriſtiani nominis oſoribus materia triumphorum abunde ſuppeditabatur. Nolo ad fidem huic lugubri argumento faciendam antiquorum ſeculorum Annales advocare: veteres querelæ conquieſcant, nec eſt quod lites diu ſopitas ulterius ſolicitem. Habeo, quod omnem indignationem facile exhauriat, niſi quod commiſeratione res longe dignior videatur. Totus horreo rem dicturus certiſſimam: *Græcos* in varias partes diſtractos, quam *Turcas*, quos adverſus ſe armant accenduntque, ſibi invicem eſſe longe infenſiores, remque Chriſtianam ab illorum diſcordiis ingraveſcentibus, quam ab horum rabie magis opprimi. Id mali hinc videtur potiſſimum accerſendum; dum enim in varias ſententias in eligendo Patriarcha itum eſt a Metropolitis, plures interdum ſedis *Conſtantinopolitanæ* coram Imperatore, ſine cujus auctoramento nemo dignitatem iſtam conſequitur, candidati comparent. Ad gratiam eorum, qui apud ipſum ſummo habentur honore, ineundam nummorum ſacculi porriguntur; nihil enim abſque his largitionibus illic impetrandum eſt; & cauſa licet æquiſſima cadit, qui eam ejuſmodi argumentis non muniendam curat. Quiſquamne ſupremi *Vizirii* gratia ſuffultus, vi & malis artibus thronum occupat? dum iſte Ἐπιβάτης dignitatem male partam tuetur, illi male adminiſtratam vitio vertentes de iſto deponendo impendio laborant; ab utriſque æs alienum, quod a miſera plebe tandem ſolvendum eſt,

con-

contrahitur. Rem maxime propudioſam & dolendam & Chriſtiano nomine eheu! quam indigniſſimam! de novo Patriarcha ſubſtituendo quolibet fere triennio aut citius conſulitur. Probe memini me fere ante ſex annos *Conſtantinopoli* datis literis Tibi ſcripſiſſe, plane verendum eſſe, tribus Patriarchis, qui in vivis erant, D.D.D. *Paiſio*, *Dionyſio*, & *Parthenio* iſthoc tempore exactis, Reverendiſſimum *Methodium Cretenſem* nuper Archiepiſcopum *Heraclienſem* factum Patriarcham, in iſta dignitate ſumma diu quoque non manſurum, quod *Græcorum* murmurationibus maliſque erga ipſum animis edoctus facile quidem ominabar. Omen triſtis eventus comprobavit. *Parthenius* enim vir irrequietæ mentis, quem amiſſæ dignitatis infamia uſque exagitaverat, conſuetis artibus adjutus, a *Vizirio* priſtinæ ſedi reſtituitur, D. *Methodio* exauctorato, ac ipſi ob impactas fictas criminationes a Gubernatore Urbis *Conſtantinopolitanæ*, in carcerem detruſo, qui tandem a novo Præfecto libertate donatus, ad excellentiſſimi Legati noſtri Regis ædes, certiſſimum *Græcorum* Præſulum aliorumque magni nominis Chriſtianorum aſylum, confugit. Interea temporis Metropolitis nullatenus conveniebat cum *Parthenio*, quem fraudis poſtulatum eunt, eo quod nummorum ſacculos, in primis Patriarchatus initiis Imperatoris ærario pro more debitos, quos dederant, ſibi in proprios uſus detinuiſſet: quod dum coram *Turcis* horum querelas, quo avaritiæ magis magiſque ſatisfiat, facilius admiſſuris evictum dant, hac conditione vincunt, modo ab iiſdem iſtud malum nomen expungatur. Ille poſt octo menſes deponitur, *Cyprum* in exilium relegatus, reverendiſſimo *Dionyſio* Metropolita *Lariſſæo*, quem commendatiſſimum habuere, ad Eccleſiam *Græcam* regen-

regendam ſubſtituto. Ipſorum mentibus inſpiret Deus ſobria ac pacifica conſilia, ut omni partium ſtudio tandem poſthabito, quæ ad pacem faciant, hoc die ſeveriſſimæ viſitationis, antequam, quod abſit, ex oculis ſe ſubducant, intueantur, ſuavique animorum conſenſu unitiſque viribus rem Chriſtianam feliciſſime procurent; monitum hoc cum id a ſinceriſſimo, quo erga illos feror, affectu fluat, R. R. Metropolitas Epiſcopoſque inſula ſacra longe digniſſimos, quorumcunque in manus hæ chartæ inciderint, æqui conſulturos ſpero obteſtorque.

Fruſtra ex veteri Eccleſiaſtica notitia ſedes Metropoliticæ Epiſcopaleſque, quæ in Patriarchatu *Conſtantinopolitano* olim recenſitæ erant, etiamnum quæruntur, cum diu fuerit ex quo earundem quamplurimæ terræmotibus, bello, horrendaque illa ſtrage, quam *Turcica* barbaries invexerit, penitus delerentur. Quæ ſuperſunt, ſolam titulo tenus retinent dignitatem; unde deficiente Chriſtianorum numero e Metropolitis aliqui reperiuntur ſine Epiſcopis Suffraganeis; aliqui, quorum juriſdictioni unus aut duo tantum ſubjaceant; paucis vero majori numero gaudentibus. Quod in hoc indiculo, quem *Conſtantinopoli* deſcribendum curaveram, expreſſum habebis:

Κατάλογος τῶν Ἐπαρχιῶν ἤτοι Μητροπόλεων καὶ Ἐπισκοπῶν ὑποκειμένων τανῦν ὑπὸ τὸν θρόνον τοῦ Κωνσταντινουπόλεως.

Provinciarum ſeu Metropolium & Epiſcopatuum throno Conſtantinopolitano *hodie ſubjacentium Catalogus.*

Ἡ Καισάρεια *Cæſarea.*

Cæſarienſis Metropolita (honoris cauſa habitus, Ὑπέρτιμ⊙ τῶν Ὑπερτίμων, καὶ Ἔξαρχ⊙ τῆς πάσης Ἀναζολῆς h. e. ut mihi videtur, Diocœſeos Ponticæ Exarchus) olim habebat ſub ſe octo Epiſcopatus; hodie titulus tantum relinquitur, iſtis plane deficientibus.

Ἡ Ἔφεσ⊙ *Epheſus*, Metropolita habetur Ἔξαρχος πάσης Ἀσίας, *totius Aſiæ*, forte, *Diocoeſeos Aſianæ* Exarchus.

Ἡ Ἡράκλεια *Heraclea.* Penes hujus Ἀρχιερέα ſeu Archiepiſcopum *(q)* conſecrandi Patriarcham jus uſque manet. Ille Πρόεδρ⊙ τῶν Ὑπερτίμων, καὶ Ἔξαρχ⊙ πάσης Θράκης καὶ Μακεδονίας dictus, habet ſub ſe quinque Epiſcopos τῆ Καλλιπόλεως, Ῥαιδεςȣ̃, Τυρολόης, Μέτρων, Μυριοφύτȣ, *Calliopoleos* in *Propontide*, *Rodeſti*, urbis quoque maritimæ, *Tyriloes*, *Metrorum*, unius diei itinere a *Conſtantinopoli*, *Myriophyti*, in continente *Thraciæ* non procul a *Calliopoli.*

Ἡ Ἄγκυρα *Ancyra.*

Ἡ Κύζικ⊙ *Cyzicus.*

Ἡ Φιλαδέλφία *Philadelphia.*

(r) Ὁ Θρόν⊙ Νικομήδει⊙ *Nicomedia.*

Ἡ Νίκαια *Nicæa.*

Ἡ Χαλκηδὼν *Chalcedon*; hodie in ignobilem pagum degeneravit, in quo unicum templum exſtat S. *Euphemiæ* martyri dicatum. In hac parvula provincia vix ſexaginta Chriſtianorum Eccleſiæ reperiuntur.

Ἡ Θεσσαλονίκη *Theſſalonica.* Metropolita Theſſaloni-

(q) V. Nicephorum Gregoram lib. VI. pag. 117. Iſte honor huic ſedi defertur, eo quod olim fuiſſet *Thracicæ Diocoeſeos* Metropolis.

(r) Hic *Sardes* interſeri debuerant, niſi dignitas iſta Epiſcopalis penitus intercidiſſet.

lonicenſis, qui ὁ πάσης Θετlαλίας dictus novem habet Epiſcopatus : Κίτρους, Σερβείων, Καμπανίας, Πέτρας, Ἀρδαμερείου, (ſ) Ἱερίσσου καὶ Ἁγιούρους ἤτοι Ἀθῶνος, Πλαντάμωνος, Πολιανίνης, *Citri*, olim *Pydræ*, *Serviorum*, *Campaniæ*, *Petræ*, *Ardemerii*, *Hieriſſi & Sancti Montis*, ſive *Athonis*, *Plantamonis*, *Polianinæ*.

Αἱ Ἀθῆναι *Athenæ:* ſub hac metropoli continentur Epiſcopatus quatuor, Ταλαντίου, Σκίῤῥου, Σόλωνος, Μενδινίτζης, *Talantii*, *Scirri*, *Soloms*, *Mindınitzæ*.

Ἡ Προῦσα *Pruſa*. Habet ſub ſe circiter XL. Eccleſias.

Ἡ Τραπεζοῦς *Trapeſus*.

Ἡ Φιλιππούπολις *Philippopolis*.

Ὁ Φιλίππων, καὶ Δράμας, *Philipporum* & *Dramæ*.

Αἱ Θῆβαι *Thebæ*.

Ἡ Μήθυμνα *Methymna*.

Ἡ Λακεδαιμονία *Lacedemonia*, habet ſibi ſubjectos Epiſcopatus, Καριουπόλεως, Ἀμυκλῶν, Βρεςένης, *Cariopoleos*, *Amyclarum*, *Breſtenæ*.

Ἡ Λάρισσα *Lariſſa*, cujus Epiſcopatus ſunt, Δημητριάδος, Ζητουνίου, Σταγῶνος, Θαυμακοῦ, Γαρδικίου, Ῥαδοβιδίου, Σκιάθου, Λοιδορικίου, Λητζᾶς, καὶ Ἀγράφων. *Demetriadis*, *Zetunii*, *Stagonis*, *Thaumaci*, *Gardıcii*, *Radobiſdii*, *Sciathii*, *Loidoricii*, *Letzæ*, & *Agraphorum*.

Ἡ Ἀδριανούπολις *Adrianopolis*, cui ſolus ſubjacet Epiſcopatus Ἀγαθουπόλεως *Agathopoleos*.

Ἡ Σμύρνη *Smyrna*.

Ἡ Μιτυλήνη *Mitylene*.

Αἱ Σέῤῥαι *Serræ*.

Ἡ Χριστιανούπολις, ἡ καὶ Ἀρκαδία, *Chriſtianopolis*, quæ & *Arcadia*.

Ἡ

(ſ) Ἀπολλωνία ἡ νῦν Ἱέρισσος, ἡ πρὸς τῶν Ἀθωόρει κειμένη. Notit. ad finem Codini p. 404.

Ἡ Ἀμάσεια *Amaſia*, in *Cappadocia*.

Ἡ Νεοκαισάρεια *Neo-Caſarea.*

Ἰκόνιον *Iconium.*

Ἡ Κόρινθος *Corinthus*, cui ſubjicitur unicus Epiſcopus, nimirum Δαμαλῶνος, *Damalonis.*

Ἡ Ῥόδος *Rhodus.* Huic olim ſubjecti *Samius* & *Parius Antiſtites.*

Αἱ νέαι Πάτραι, *Novæ Patræ* in *Theſſalia.*

Αἶνος *Ænus.*

Ἡ Δρύστρα *Dryſtra.*

Τόρνοβος *Tornobus*, cujus Epiſcopatus ſunt, Λοφιτζοῦ, Τζερνόβου, Πρεσλάβης, *Lophitzi*, *Tzernobi*, *Preſilabæ.* Hujus Metropolita Ἔξαρχος τῆς Βουλγαρείας.

Ὁ Ἰωαννίνων ἔχει Ἐπισκόπους, τοῦ Βοθρωντοῦ, τοῦ Βελλᾶς, τοῦ Χειμάῤῥας, καὶ Δρυνουπόλεως, *Joanninorum* Metropolita regit Epiſcopos *Bothronti*, *Bellæ*, *Chimarræ*, & *Drynopoleos.* *Joannina* autem Urbs *Ætoliæ*, olim *Caſſiope* dicta.

Ὁ Εὐρίπου Ἐπισκοπὰς οὐκ ἔχει. *Euripi Metropolita eſt ſine ſuffraganeis: uti &*

Ὁ Ἄρτης *Artæ*; quæ eſt, ni fallor, Ambracia veterum in Epiro.

Ὁ Μονεμβασίας ἔχει Ἐπισκόπους, τοῦ Ἕλους, τοῦ Μαΐνης, τοῦ Ῥέοντος, καὶ τοῦ Ἀνδρούσης. Metropolita *Monembaſiæ* in *Peloponneſo*, quæ olim dicta *Epidaurus*, habet Epiſcopos, *Eleos*, *Maiinæ*, *Rheontis*, & *Andruſæ.*

Ὁ Ναυπλίου *Nauplii.*

Ὁ Φαναρίου καὶ Νεοχωρίου Ἀρχιεπίσκοπος, *Phanarii* & *Neochorii* Archiepiſcopus.

Ὁ Σοφίας Μητροπολίτης ἄνευ Ἐπισκοπῶν, *Sophiæ* Metropolita abſque Epiſcopatibus ſubjectis.

Ὁ Χίου, *Chii.*

Ὁ Παροναξίας, *Paronaxiæ.*

Ὁ

Ὁ Τζίας *Tzia*, quæ non procul a *Melo*.
Ὁ Σίφνου *Siphni*.
Ὁ Σάμου *Sami*.
Ὁ Καρπάθου *Carpathi*.
Ὁ Ἄνδρου *Andri*.
Ὁ Βάρνης *Varnæ*, prope *Danubium*.
Ὁ Κῶ *Cous*.
Ὁ Λευκάδος *Leucadis*.
Ὁ παλαιῶν Πατρῶν ἔχει Ἐπισκόπους, τῆς Ὠλένης, τῆς Μεθώνης, καὶ τῆς Κορώνης, *Veterum Patrarum* Metropolita habet Epiſcopos *Olenæ*, *Methonæ*, & *Coronæ*.
Ὁ Προικοννήσου *Proconneſi*.
Ὁ Γάνου *Gani*.

Εἰσὶν ἐπὶ Ἐπίσκοποι καὶ Μητροπολῖται.
Adhuc ſunt Epiſcopi & Metropolitæ.

Ὁ Μηδείας *Mediæ*, ad oram Ponti *Euxini*.
Ὁ Σωζοπόλεως *Sozopoleos*.
Ὁ Προιλάβου *Prælabi*, ad Danubium.
Ὁ Καφᾶ *Caphæ*, non procul a *Boſphoro Cimmerio*, in *Tartaria Præcopienſi*.
Ὁ Γοτθείας *Gotthiæ*, ibidem.
Ὁ Βινδάνης *Bindanæ*, prope *Sophiam*.
Ὁ Διδυμοτείχου *Didymotichi*.
Ὁ Λιτίτζης *Lititzæ*.
Ὁ Βυζίης *Byſiæ*.
Ὁ Σελυβρίας *Selymbriæ*.
Ὁ Ζυχνῶν *Zychnarum*, in *Macedonia*.
Ὁ Νευροκόπου *Neurocopi*.
Ὁ Μελενίκου *Melenici*.
Ὁ Βεῤῥοίας *Berrhœæ*.
Ὁ Πωγογιανῆς *Pogogianæ*, in *Illyrico*.

Ὁ Χαλδαίας *Chaldaea.*
Ὁ Πισιδίας *Piſidia.*
Ὁ Ἴμβρου *Imbri.*
Ὁ Μυρέων *Myra.*
Ὁ Σαντορίνης *Santorina*, inſulæ prope *Melum.*
Ὁ Αἰγίνης *Ægina.*
Ὁ Οὐγγαροβλαχίας *Ungarovalachia.*

In *Moldavia* quatuor tantum Epiſcopi regimini Chriſtianorum Eccleſiaſtico præſunt. Metropolita *Cretenſis* cum tribus ipſi ſubjectis Epiſcopis ſedem *Conſtantinopolitanam* agnovit: ſed capta urbe οἴχεται, paucis admodum in inſula olim Ἑκατομπόλει relictis.

Quidam ex his Epiſcopis ab omni Metropolitanorum, quibus olim erant ſubditi, juriſdictione eximuntur, fiuntque Αὐτοκέφαλοι, ac ſui juris, neminemque præter Patriarcham habent aut agnoſcunt ſuperiorem. Inde diſtinctionis gratia appellantur *Archiepiſcopi*; titulo *Metropolitarum* iis ſolis, quibus jam ſubſunt, aut ſaltem olim ſuberant, ſuffraganei, reſervato. (*t*) Gabriel Philadelphienſis in opuſculo de ſeptem ſacramentis: εἰσὶ δὲ καὶ τινες ἐπισκοπαὶ, αἵτινες ἐτιμήθησαν παρὰ τῶν πάλαι βασιλέων, τοῦ καλεῖσθαι Ἀρχιεπισκοπαὶ, εἰ καὶ ὑπ᾽ αὐτὰς ἐπισκοπὰς ἄλλας οὐκ ἔχουσι τοῦ ἀρχιεπισκοπεύεσθαι.

Cum in tanta omnium fere rerum penuria nulla opima Sacerdotia ſuppetant, inque rebus ſecularibus tractandis occupari per ſacros ordines neutiquam liceat, ſola ſacri muneris obeundi conſcientia dignitaſque, uti par eſt, faciunt, ut quiſpiam iſtud miniſterium ambiat. Hæc vero licet miſera ſatis vitæ conditio ex longæ ſervitutis uſu facile & ſine querelis toleratur,

(*t*) pag. 39.

ut cum ipſis bene actum eſſe cenſeant, ſi reditus annuus ex populi largitionibus collectus quadraginta coronatorum ſummam conficiat. Deficientibus enim prædiis, vel ipſis cum plebe, cui in ſacris miniſtrant, paciſcendum eſt, vel pro Exequiis Miſſiſque celebrandis cæteriſque ſacris, quas uſus poſtulaverit, functionibus tot aſpri pro more a ſingulis ſunt numerandi.

Diebus feſtis a Sacerdotibus, ut ipſorum amicorumve in orationibus Liturgicis & ſacrificiis expreſſa nominatione facta meminiſſe velint, oblatis muneribus aut pecuniis procurant Laici, quibus ſolennem eam commendationem apud Deum valituram ſibique ceſſuram quam optime, pro pio animi affectu videtur perſuaſiſſimum. Non obſtat matrimonium, quo minus quiſpiam, cætera & aliunde non inidoneus, ad Presbyteratum promoveatur, nec uxoratis aliqua fœminas abdicandi neceſſitas incumbit: at poſt ſuſceptum Sacerdotium id cuiquam licere hodiernus Eccleſiæ *Græcæ* uſus non permittit: tanta quoque ſeveritate interdicuntur ſecundæ nuptiæ, ut ille quaſi deleto iiſdem charactere, quem ſacer ordo impreſſerat, pro Laico habeatur. Hoc ſi fecerit, eo nomine confeſtim audit παράνομος. Ut profeſſione & inſtituto vitæ, ita veſtibus nigris a plebe diſtinguuntur, caſula φαινολίῳ una cum pileo, quem, ſi Monachi quoque ſint, tenue velum a tergo propendens tegit, induti: etiam in templis capite tecti, niſi quod, dum ad ſacrum faciendum ſeſe accingunt, ac ſubinde pro diverſa officiorum ratione, id denudari oporteat. Gerunt quoque prolixiores ultra humerum capillos, *Turcis* id quidem permittentibus; cum reliquis omnibus, ritu *Turcarum*, quibus ut ſe hac ex parte ſimiles præſtent diu imperatum fuerit, caput radendum ſit; quod cum apud

apud quoſdam exoleſceret, e *Creta* redux *Vizirius* ſibi reformandum eſſe duxit, edicto, ne quis *Chriſtianorum* cæſariem alat promittatque, gravi pœna ſancito; quaſi hac vel in leviculis reculis indulgentia, quam tollendam curaverat, veritus eſſet naſutus homo, ne *Græcis* ad priſtinos mores priſtinamque fortitudinem paulatim eſſet revertendum. Cum in Sacerdotibus Eccleſiam conſtare (uti olim ſententialiter ſtatuebant Imperatores *Theodoſius*, & *Valentinianus Auguſti* lege viceſima in *(u)* appendice codicis *Theodoſiani*, hoc nomine licet Epiſcopos præcipue innuentes, cum Presbyteri illic ſecundi Sacerdotes expreſſe nuncupentur) *Græcis* ſit hodie uſu quam maxime comprobatum, ordo Sacerdotalis, licet extrinſecus hic non fulgeat, utpote in ſe venerabilis, ingentem a populo Chriſtiano reverentiam vendicat conciliatque. Neque enim Sacerdotes ordinarii debito hoc fraudantur honore, quorum unuſquiſque vulgari & promiſcuo nomine Παπᾶς i. e. *Pater* appellatur, nec ab ipſorum manibus oſculandis, iiſque fronti apponendis (quibus indiciis major pro Orientalium more exhibetur reverentia) prout res & occaſio tulerint, abſtinetur.

Præter Diaconos, qui hoc ordine contenti, ad Sacerdotium nunquam promoventur, ſunt quoque Subdiaconi, in rebus ad Altare ſacrumque ſpectantibus Presbyteris miniſtrantes, & Anagnoſtæ ſive lectores, qui juxta antiquiſſimum Eccleſiæ ritum Evangeliis coram populo legendis deputantur. Non ſimul & eodem tempore ſuperioribus ordinibus quiſquam deputandus eſt; mora unius diei aut bidui pluriumve, prout expedit, interpoſita: unde quoque ſi quempiam e Sacerdotibus ad dignitatem Patriarchalem deſignan-

(u) Ex editione V. C. Jacobi Sirmondi Pariſiis 1631.

dum contigerit, quo inſtitutum, quod obtinuit, talem e Metropolitarum numero ſubſtituendi rite ſervetur, totidem dies ipſi morandum eſt, donec intermediis titulis inſigniatur.

Religioſus vitæ ſtatus, quem Monachi ſequuntur, ſummis elogiis deprædicatur: inde ἡ κατὰ θεὸν πολιτεία ſeu *ſecundum Deum vitæ inſtituendæ ratio*, βίος τέλειος καὶ ἰσάγγελος *vita perfecta & Angelicæ æqualis*; imo ἡ πολιτεία ἀγγελικὴ *Angelicæ vitæ inſtitutum*, ἡ τελειοτάτη ζωὴ, ἐν ᾗ κατὰ μίμησιν ἡ τοῦ Κυρίου πολιτεία διαδείκνυται, *vita perfectiſſima, in qua converſatio Chriſti per imitationem exprimitur*, ἡ οὐρανομίμητος πολιτεία *vitæ inſtitutum & ratio cœleſtium æmula* paſſim audit. Ex his (neque enim de ordinis ſancti *Antonii* Monachis, qui eodem manente inſtituto eaſdem, uti olim, ſedes incolunt, puta in montibus *Sinæ*, & *Libani*, in arenoſis *Libyæ* deſertis verſuſque *Erythræi* maris litora diſperſi, hic agitur) quotquot in *Græcia*, *Aſia* minori, reliquiſque regionibus, quæ Patriarchæ *Conſtantinopolitano* ſubjacent, hodie reperiuntur, ſancti *Baſilii Magni* regulas & inſtitutiones voto obligati ſuſcipiunt, generali nomine καλόγεροι, id eſt, *boni ſenes* nuncupantur: licet jam nulla habeatur ætatis ratio. Cujus penultima ſyllaba cum mollius efferatur, quidam hinc errore arrepto illos nomen iſtud ob ſuſceptum Sacerdotium adeptos finxerunt, quaſi vocabulis paulo immutatis καλοὶ ἱερεῖς eſſet ſubſtituendum. Conjecturam vero male fundatam ruere hinc oportet, quod horum pauci admodum, facta comparatione, ordine Sacerdotali fungantur. Hi ut plurimum ſimul, niſi quod aliqui plebis inſtituendæ gratia Parochiis præficiantur, in Monaſteriis extra viam Regiam in locis impeditis Ἀποκόσμιοι, hoc eſt, *a ſeculo*

ſecluſi

ſecluſi victitant. Quorum vitæ morumque innocentia & σκληραγωγία, quam ultro ſubeunt, omnium fere gratiam benevolentiamque ipſis conciliarunt, ut erga ipſos quoque *Turcæ*, ingenio alias effero & crudeli, pene miteſcant, quaſi cenſuiſſent, nihil moleſtiæ iſtiuſmodi hominibus inferri oportere, qui precibus rebuſque ſacris intenti, neutiquamque humanis negotiis ſe immiſcentes, de nemine male mereri aut velint aut poſſint.

Quo tempore vota hæc vitæ religioſius juxta diſciplinam Monachorum inſtituendæ ſuſcipiunt, quaſi jam Deo & Chriſto renati, veteribus relictis, nova ſubinde imponuntur nomina: cujus moris innumera occurrunt exempla apud Scriptores hiſtoriæ *Byzantinæ*. Unicum aut alterum memorabo, nec opus erit pluribus. (*x*) Imperator *Manuel Comnenus* habitu monachali induendus, *Matthias* dictus; & uxor ipſius *Maria*, facta monialis, *Xene*, non aliis nominibus in futurum dignoſcendi: uti etiam (*y*) *Joannes Palaeologus* ſeculo renuncians, nomen *Joaſaphi* (*z*) ſive *Joſephi* aſſumpſit.

Monachorum tres ſtatus recenſentur, habitu a ſe invicem & ſeverioris diſciplinæ exercitiis diſtincti, per quos tanquam tot gradus ad τελειότατον τῆς ἀσκήσεως βίον perveniendum eſt.

Qui primum ſe vitæ monaſticæ devovent, Ἀρχάρειοι ſeu *Incipientes* audiunt; vili veſte, ῥάσῳ, in Novitiatus indicium & pileo καμιλαυχίῳ, donati. Primo tondentur, antequam vota ſuſcipiant, quæ reliquis quoque communia ſunt; quiſque enim in ſolenni ſpon-

(*x*) Codinus de orig. Conſtant. pag. 80.
(*y*) pag. 82.
(*z*) V. Syropul. hiſtoriam Conc. Flor. p. 52.

ſponſione ſe obſtringit in hoc ſtatu Religioſo per integrum vitæ tempus permanſurum, cœlibem vitam victurum, & obedientiam τῷ προεστῶτι καὶ πάσῃ τῇ ἐν Χριστῷ Ἀδελφότητι *ſuperiori ſuiſque in Chriſto fratribus* eodem Monaſterio una ſecum viventibus præſtiturum: niſi quod ultro ſpondeant perfectiores ſe πᾶσαν θλίψιν καὶ στενοχωρίαν τοῦ μονήρους βίου διὰ τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, *omnem afflictionem & anguſtiam vitæ monaſticæ propter regnum cœlorum* ſponte & libenter ſubituros.

Exacto Novitiatus tempore ad pallium, μανδύαν, induendum, quod τὸ μικρὸν σχῆμα dicitur, admittuntur; inde Μικρόσχημοι dicti.

Qui ad perfectiſſimum vitæ Monachalis ſtatum ſuſcipiendum poſt edita innocentiæ, morum, & ſeveriſſimæ pietatis ſpecimina promoventur, a peculiari habitu, quem τὸ ἅγιον καὶ ἀγγελικὸν σχῆμα, *ſanctum & Angelicum habitum*, τὸ σχῆμα τὸ θεῖον, *habitum divinum* nuncupant, Μεγαλόσχημοι dicuntur; vere Ἀζκηταὶ habiti, cæteris hoc inſigni titulo vix decorandis. Hic vero habitus, quem tot elogiis plane hyperbolicis extollunt, cæteris tantum ſuperaddit cucullum, de quo ſupra dictum erat, ἀνάλαβον ſive panniculum quadratum, intus pileis aſſutum; quandoque vero eundem gerunt in ſinu cordi ſub induſiis laneis prope adjacentem. Crucis figuram illic depingendam curant, ad cujus latera literæ hæ deſcribuntur. IC. XC. N. K. Ἰησοῦς Χριστὸς νικᾷ, hoc eſt, *Jeſus Chriſtus vincit*; quo ſacro inſigni ſe ab omni malo ſecuros opinantur. A ceremoniis vero recenſendis quibus in Monachis initiandis ſuſcipiendiſque utuntur, cum eæ e peculiaribus officiis in Euchologio deſcriptis facile petantur, nec operis ratio a me exigit, ut id præſtem, de induſtria ſuperſedebo.

Ho-

Horum præcipua ſedes eſt in editiſſimis montis *Athi* jugis, qui ideo a *Græcis*, veteri nomine relicto & indies magis magiſque obſoleſcente, ἅγιον ὄρος ſive *ſanctus mons* nuncupatur: (non Ἁγεῖον, ut quidam ineptulis conjectatiunculis innixi imperitiſſime comminiſcuntur) uti quoque a *Turcis*, a quibus non minor honos, quod ad nomenclationem ſpectat, defertur, *Sheichler dag* ſive *Sacerdotum* ſeu *Religioſorum mons.* Hinc Monachi in hoc celebri *Græcæ* Eccleſiæ ſeminario educati paſſim audiunt Ἁγιορεῖται.

In animo plane ſtatueram locis his, tot Monachorum incolatu inſigniſſimis, interfuiſſe, tum ut ſeveriſſimam ſanctiſſimamque vitæ rationem ab ipſis præſens edoctus, ea, quæ ſola fama edidiceram, tandem experientia propria cognoſcerem, tum ut codices manuſcriptos, quorum ingentem copiam apud eoſdem adhuc deliteſcere a pluribus, qui id optima, ut mihi videbatur, fide conteſtati ſunt, facile mihi perſuaſum erat, ſedulo inveſtigarem, ut de iis exſcribendis, ſi qui rariores ex antiquiſſimis, qui orbem Chriſtianum hactenus ab inventa Typographia latuere, reperiendi eſſent, aliquatenus tranſigeretur. Neque enim quovis pretio hodie volunt redimendos, cum id excommunicationis pœna omnino ſit interdictum. Quod commendatitiis D. Patriarchæ literis communitus, non infeliciter quidem effectum dediſſe ſperabam. Non enim viarum difficultates aliaque incommoda, cum *Athos* iſte octodecim dierum itinere a *Conſtantinopoli* diſtet, quibuſcum mihi confligendum eſſet, morabar, ea omnia quanta quanta fuerint, σὺν Θεῷ ſacræ Antiquitatis inveſtigandæ ſtudio poſthabiturus. At, at, apparatu longe majori quam quod ipſe ſolus ſuppeditare potuiſſem, opus erat, nec id privato ſumptu ag-

gredi res meæ ſiverunt; qua de cauſa ab incœpto hoc, quod meditabar, plane coactus & dolens quidem deſtiti, unde de iis paucula quædam fide aliena dicturus ſum. Attamen non habeo quod dubitem, cum id a pluribus fide perquam dignis exhauſerim, illic viginti circa Monaſteria adhucdum ſupereſſe, quorum ampliora tercentum Monachos ſub præſidio & regimine unius Præfecti, quem Ἡγούμενον ἢ Ἀρχιμανδρίτην appellitant, ſimul victitantes capiunt. Ea, quo a Piratarum incurſibus, quibus e finibus tum *Strymonico* tum *Sigetico*, qui hodie appellatur *Golpho di monte ſancto*, facilis eſt in terram exſcenſio, ſecuriora fiant, communiuntur. Inter quæ recipiendis gentis *Ruſſica* Monachis, qui poſt aliquot annos ſub hac ſevera diſciplina exactos patriam repetunt, peculiare quoddam Monaſterium deſtinatur. Compertiſſimum habui, Monachos, qui ſtudiorum & pietatis excolendæ gratia illuc ſe conferunt, longe pluris per univerſam *Graciam minoremque Aſiam* haberi, utpote ſanctimoniæ fama & exiſtimatione celebriores; ex his quoque plures ad Epiſcopatus accitos, & ab his abditis receſſibus quaſi coactos, quo cæteris vitæ juxta legis Chriſtianæ normam emendatiſſimæ ac exactiſſimæ eſſent exemplo.

Idem omnium tum hic tum alibi degentium inſtitutum, eadem vita vere Aſcetica, ut vel priſtini ævi Monachis neutiquam cedere videantur. Nemini hic otio & deſidia torpeſcendum eſt; precibus μεσονυκτίοις cæteriſque ſacris officiis defuncti, quicquid ſupererit temporis in reliquis vitæ negotiis, quæ pro genio & indole ſortitur, exequendis unuſquiſque impendit. Nihil fere extra quæritur, quod propria induſtria elaborari poſſit. Id operis ſolis, qui ſunt extra ordinem Eccleſiaſticum, Monachis demandatur. Horum quidam

dam artium ruſticanarum gnari in vineis agelliſque, quos circumcirca habent, colendis occupantur; quidam pecuariorum munia obeunt; quidam artibus mechanicis intenti, veſtimentorum nendo & texendo materiam parant, & calceamenta & quicquid eſt fabrilium inſtrumentorum, quorum neceſſarius eſt uſus, conficiunt; quidam denique, ne nimius ſim, in illis Monaſteriis, quæ mare prope attingunt, lintribus ſcaphiſque fabricandis operam navant, quibus a litore piſcium capiendorum gratia ſolvuntur. Horum enim eſu vitam quam maxime ſuſtentant redduntque tolerabilem. Sacerdotes & Diaconi, quos ſacri ordinis ab his ſervilibus officiis exercendis eximunt, (quorum hos Ἱεροδιακόνους, illos Ἱερομονάχους vel θύτας Μονάχους peculiariter nuncupant, ob ἀντιδιαστολὴν ſive diſtinctionem eorundem a Sacerdotibus aut Diaconis nullo voto obſtrictis, & nudo τῶν ἱερέων καὶ διακόνων titulo honeſtatis) horas ſubciſivas, ſi quæ ſuperſint ultra debitum præſcriptumque pietatis, quod incumbit, officium in legendis, conferendis, exſcribendiſque veteribus libris bene collocant. Cum vero ex ingenti hoc, qui impenditur, agricolationis labore vitæ ſubſidia non ſuppetant, (quali infortunio, ariſtis vitibuſque nimio fervore areſcentibus, arboribuſque ſideratis, ex aëris intemperie orto, interdum premuntur) eleemoſynas per varias regiones e diſcretioribus quidam mittuntur collecturi, licet id raro & non niſi urgente neceſſitate fiat. Qui ſeculi deliciis renunciant, eos de victu non admodum ſolicitos eſſe illud vitæ inſtitutum facile ſuadet. Ab omne genus carnibus piſcibuſque ἐναίμοις quam rigidiſſime abſtinetur. Vin Tu, Vir Clariſſime, horum cupedias noſſe? E piſcibus ἀναίμοις, olivis ſole induratis, fabis, cepis, reliquoque cibo facile

 parabili

parabili conſtant, quibus ſi bis coctus panis addatur, laute ſibi videntur convivari. Ter ſingulis ſeptimanis, hoc eſt, feriis ſecunda, quarta, ac ſexta, indictum ſolenne jejunium non abſolvitur, niſi duabus tribuſve poſt meridiem horis. Finitis vero veſpertinis precibus ſinguli ad famem melius leniendam panis cruſtulo donantur, quod ſolo aquæ hauſtu digerendum eſt. Reliquis diebus piſcibus lacticiniiſque comedendis indulgetur, quo tempore languentem ſtomachum vino reficere permiſſum eſt. Jejunium magnæ Quadrageſimæ, ut ſupra relatum erat, adeo religioſe obſervant, ut aliqui ſemel biduo cibum ſumere fas putent; aliqui per duos aut tres integros dies ab omni cibo & potu pene inedia confecti ſibi temperandum eſſe velint.

Quædam Monaſteria in inſulis, quas chartæ Nauticæ *Rubrarum* nomine ſignant, a *Conſtantinopoli* ſex leucarum intervallo diſtantibus, adhucdum viſuntur. A ſe invicem anguſto freto diſterminantur hæc νησίδια, quorum quinque plane inculta inſtar rupium incolis deſtituuntur. *Pyrgos* ſinum *Nicomedienſem*, cui recta objacet, propius attingit. Inſula, cui ab Urbe ſolventes primo occurrunt, Πρῶτο, ſive Πρώτη a *Græcis* nuncupatur, *Turcice Kinali*. Unicum hic ſupereſt Monaſterium. Inſularum maxima *Prencipe* ambitu ſuo duodecim milliaria continet, in qua duos conventus habent οἱ Μονάζοντες. Unico tantum pago jam gaudet, altero igni everſo. Prope adſtat *Chalce*, *Turcis Heibili*, quam, dum illic adeſſem, priori fere dimidio minorem, unico quoque pago tribuſque Monaſteriis contentam reperi. Juxta μονὴν τῆς Παναγίας, quæ triginta Monachos alit, ad Auſtro-africum eminet D. *Bartoni*, qui regnante *Eliſabetha* Regina *Turcicam*

cicam legationem obierat, ſepulchrum; cujus memoriæ, ne exoleſceret, cum epigraphe conſultum eſſet, illam exſcribere mihi placuit; quam, Viri de *Anglis* (utpote cujus prudentiæ commercium illud, quod noſtrates hodie exercent, refertur acceptum) optime meriti famæ ipſe quoque litaturus, hic pauculis erroribus, quos admiſit imperitus ſculptor, emendatis, licet forte ἀσκόπως & præter rem, hic apponam. *Edvardo Barton, illuſtriſſimo ſereniſſimæ Anglorum Reginæ Oratori, Viro præſtantiſſimo, qui poſt reditum a bello* Ungarico, *quo cum invicto* Turcarum *Imperatore profectus fuerat, diem obiit.*

Pietatis ergo.

Ætatis An. XXXV, *ſalutis vero anno* 1597. XVIII. *Calend.* Januarii.

Cum vero hæ inſulæ in mari piſcoſo ſitæ ſint, arte piſcatoria victum & numulos quæritant Chriſtiani; hac ex parte felices, quod nullibi apud ipſos reperiantur *Turcæ*, ut priſtina ſacrorum libertate hic frui videantur. A quibus quoque inviſendis abſtinent, niſi quando tributi colligendi cauſa eas coacti petant: his enim, cum mare ventis vel paulo commotum maxime horreant, non adeo bene convenit, ut ad captandas auræ marinæ inſularumve delicias eouſque exſpatiari aut velint aut audeant.

Aliud Monaſterium magnæ quoque exiſtimationis apud *Conſtantinopolitanos* reliquoſque circumcirca Chriſtianos prope *Boſporicum* litus ſitum, ad locum *μαῦρο μόλο*, id eſt, *nigram molem* vulgari *Græca* lingua dictum, inviſere placuit. Cum ante quinquaginta annos &

quod

quod excurrit vepreto implicitus, huc illuc oberrans; *Kalogerus* quidam, qui e vicino viculo *Bojuk-dere* huc ſe contulerat, Ἁγίαζμα ſeu *aquæ luſtralis fontem* figuramque B. *Virginis*, ut videbatur, inſculptam caſu reperiſſet, *Græci* his indiciis, quæ traditionem apud ipſos ab antiquo obtinentem firmarant, Templum olim hic ſtetiſſe, ſatis convicti, Monaſterium ſinuoſo hoc ad ima montis loco, quem vepres oppleverant, condendum impetrata tandem venia curant. Fundus autem iſte in peculium & poſſeſſionem *Turcicorum* Sacerdotum, qui in Regali Imperatoris *Bajazidis* Moſchea ſacra procurant, dudum ceſſit, quibus annuus triginta thalerorum reditus erogatur. Ad conciliandam *Hortulanorum* Præfecti, cujus juriſdictio per *Boſporum* quaquaverſum extenditur, gratiam, quo ab omni moleſtia ſecurius vivatur, ſingulis menſibus peractis, munera ſtata proportione, puta decem okæ ceræ (quarum unaquæque duo pondo *Anglicana* fere cum tredecim unciis continet) hœdi, oves & iſtiuſmodi apparatus in familiæ uſus *Conſtantinopolim* deferuntur. Quo templum hoc τῇ Παναγίᾳ conſecratum ſit venerabilius, ſemel per annum Patriarcha Sacerdotum comitatu ſtipatus id adit ſacra facturus. Non vero abit indonatus; quingentis enim aſpris hæc repetita benedictio conſtat. Concurrit quoque ingens Chriſtianorum multitudo, feſto τῆς κοιμήσεως B. *Virginis*, a quibus non minima religionis pars in encœniis celebrandis collocari videtur: his enim temporibus illos, dum ſacra fiunt, pietati quam maxime intentos, inque liberalitatem effuſiſſimos, pene ultra quam rei domeſticæ anguſtia patitur, ubilibet intueri eſt. Hic tunc temporis, cum alendorum numerus ſit alias incertus, triginta quinque *Kalogeros*, quorum ſeptem Sacer-

Sacerdotes erant, ſimul victitaſſe, ab ore reverendi ac pii Viri, D. *Macarii Hegumeni*, ſive *Archimandritæ* præſens excepi, a quo hæc hiſtoriola mihi communicabatur. Cum ante quindecim annos præterpropter hodiernus Imperator, dum verſus oſtium *Ponti* iret venatum, exercitationis cauſa, quam pro irrequieta indole uſque impendio perſequitur, huc, quo feræ curſus duxerat, prope adeſſet, communi Monachorum conſilio de ipſo conveniendo deliberatur. Tandem ex ipſis unus prodibat audaculus, qui præmiſſa pro more gentis reverentia ceraſa & caſeum ipſi obtulit. Munus Imperatori longo itinere ſub æſtivo ſole feſſo & inedia pene laboranti gratiſſimum & perquam benevole acceptum. Quippe non diu moratus, Monachum blanda voce compellat, interrogatque, num velit fieri *Muſulmannus*, illum aliqua dignitate, ut fas eſt conjectari, quaſi vicis hoc modo rependendæ gratia impertiturus: cui ille, blanditiis Imperatoriis per gratiam *Chriſti* non expugnabilis, oculis in terram defixis, nihil reſpondere auſus, ſe fidem *Chriſtianam* ejurare nolle, ſilentio, ſed ultra omnem vim verborum & efficacius quidem, teſtatus eſt. Nec diſplicuit Imperatori ipſius conſtantia, quin vicinos agros in uſum Monachorum addici, & triginta aureos Sheriphios illis quoque confeſtim numerari valedicturus juſſerit.

Reperiuntur quoque fœminæ, quæ religioſum habitum induunt, *μοναςρίαι*, *ἀσκητρίαι*, *καλογρίαι* ſive *καλόγεραι* nuncupatæ; e quibus virgines paucæ admodum numero ſunt, ſi cum vetulis viduiſque conferantur, quas vel criminum admiſſorum conſcientia, vel provectior ætas, vel pauperies ad votum hoc ſuſcipiendum cogunt: inde ipſis de victu & veſtitu ſatis proviſum eſt; harum enim cæteros miſereſcit, ac dum aut

aut in templis mundandis occupantur, aut ægrotis præſto adſunt, pro ratione officii ipſorum neceſſitatibus miniſtraturæ, quippiam lucelli percipiunt.

In locis impeditiſſimis perpauci *Anachoretæ* ſeorſim ab omni humano conſortio vitam arboreo fœtu reliquoque, quem terra ſponte progignit, apparatu fortiſſime tolerant; de quibus lautitiis ſi bis ſingulis diebus feſtis epulentur, id iis ſolennius celebrandis, quo a cæteris hac indulgentia diſtinguantur, ſolummodo fit: ſed cum ejuſmodi Religioſos prope noſſe mihi non contigerit, penitus tacere malo, quam ea, quæ veritatem ſupergreſſa videbuntur, fide aliena loqui.

Septem hodiernis *Græcis* Μυστήρια ſeu *Sacramenta* ſunt, quæ hoc ordine recenſentur.

Τὸ Βάπτισμα *Baptiſma.*
Τὸ Μύρον τοῦ Χρίσματος *Unguentum Chriſmatis.*
Ἡ Εὐχαριστία *Euchariſtia.*
Ἡ Μετάνοια *Pœnitentia.*
Ἡ Ἱερωσύνη *Sacer Ordo.*
Ὁ Γάμος *Matrimonium.*
Τὸ Εὐχέλαιον *Extrema unctio.*

Hic vero ſeptenarius Myſteriorum numerus, ut id ὡς ἐν παρόδῳ adnotem, in quo definiendo, uti olim ſuperiori ſeculo, ita hoc noſtro, (rem Chriſtianam male multatum iri, ſi quippiam ex hoc cenſu deceſſiſſet, perperam & ultra omnem juſtam rationem veriti) ad obſtinationem uſque perſeverant *Græci*, per mille annos *Græcæ* Eccleſiæ plane erat incognitus, quem tandem ad faciendam *Latinis* gratiam, vel ſaltem mala eorundem imitatione certatim arripuerunt. Memi-

niſſe

niſſe vero oportet, ex hiſce *(a)* duo tantum, nimirum *Baptiſmum* & *Cœnam Domini*, tanquam ad ſalutem neceſſaria, quæ vim & obligationem ab ipſa Chriſti Salvatoris inſtitutione derivant & mutuantur, ab ipſis admitti, reliquis in inferiori gradu relictis, utpote quorum uſum Eccleſia partim ex ſcripturis, partim ex traditionibus a temporibus Apoſtolorum deductis, commendaverit. Neminem enim niſi literarum ſacrarum penitus expertem, latere poteſt, voces haſce *Μυςήριον* & *Sacramentum*, quemlibet ſacrum ritum in religionis negotio adhibitum; promiſcue olim denotaſſe, qui ultra exteriorem iſtam, quæ in oculos incurrebat, actionem quippiam arcanum & ſpirituale innuebat: quo ſenſu S. Paulus *nuptias*, quas, utpote mundi natalibus fere coævas, non invexerat diſciplinæ Chriſtianæ ratio, *grande Myſterium* nuncupat; quoniam intimi inter Chriſtum & Eccleſiam nexus typus eſt: & S. Auguſtinus lotionem pedum a Chriſto peractum, ob indicium humilitatis a Diſcipulis, quibus hoc vili officio inſerviiſſet, promptius & facilius addiſcendæ hoc præclaro *Sacramenti* titulo inſignivit: quod de multis aliis religioſis ritibus paſſim obſervare eſt; ita ut numerus eorundem, cum ſit plane incertus & ex arbitrio pendens, neutiquam a Veteribus determinaretur: quem ſequiora ſecula poſtea levibus de cauſis & non ſine puerilibus ad ſeptem dona ſpiritus ſancti, ſeptem virtutes, quarum tres Theologicos, quatuor morales, *ſeptem columnas, quibus ſapientiæ domus ſuffulcitur.* Proverb. cap. IX. *ſeptem buccinas*, Joſuæ cap. VI.

(a) V. Reſponſ. 2. Patriarchæ Jeremiæ ad Theologos Wirtembergenſes. p. 240. .... *τὰ κυριώτερα τῶν μυστηρίων τὸ βάπτισμα καὶ ἡ κοινωνία ἡ θεία ἐστὶν, καὶ ὧν διχασθῆναι ἀδύνατον, ἀλλὰ καὶ ταῦτα παρέδωκεν ἡ ἐκκλησία, τὰ λοιπὰ φημὶ, ἄχρι τῶν ἑπτά.*

VI. *ſeptem lucernas.* Zachar. cap. IV. *ſeptem ſtellas.* Apoc. cap. I. alluſionibus (cujuſmodi in rebus operam & ingenium pro more ludit Gabriel Philadelphienſis) affigentes; hiſce myſteriis peculiariter & ſtrictim applicuere. Sed ad orbitam, quam tranſiliiſſe videor, redeo, de ſingulis *myſteriis* pauca pro ratione inſtituti dicturus.

Licet nullus poſt partum dies, quo infantes ſacro Baptiſmatis ritu expiantur, ex canone ſit præſtitutus, raro tamen ultra octavum vel decimum aut morari aut antevertere ſolent, niſi propediem ſecuturæ mortis timor, ne ἀβάπτιστοι, ἀτέλεστοι, ἀσφράγιστοι, καὶ ἀμύητοι nondumque lavacri regenerationis compotes ex hac vita emigrent, hoc Chriſtianæ charitatis officium citius urgeat. Tantam enim neceſſitatem Sacramenti hujus, quo in Chriſtianorum numerum tranſeuntes hæreditatis in cœlis adeundæ jus ſibi acquirunt, e præcepto *Chriſti*, S. *Joan.* III. v. 5. oriri credunt, ut de infantibus ἀβαπτίστοις vix bene quidem ominari aut norint aut velint. Ideo hoc in caſu, at ſolo quidem, (neque aliter omnino fas erit) ſi ingens neutiquamque fictum moriendi periculum immineat, ſeculari perſonæ, (*b*) qualiſcunque ſit ſexus, cui intervenire contigerit, moribundum infantem tingere permiſſum eſt. Ita praxin hanc, quæ ubivis obtinet, populo commendatam & legitimam reddit nupera (*c*) confeſſio Catechetica in uſum plebis lingua *Græca* vulgari edita, καὶ τὸ διατεταγμένον βάπτισμα δὲν πρέπει, νὰ γίνεται ἀπὸ ἄλλον τινὰ παρὰ ἀπὸ τὸν νόμιμον ἱερέα, μὰ εἰς καιρόν τινος ἀνάγκης. ἐμπορεῖ νὰ κάμῃ τὸ μυστήριον τοῦτο καὶ κοσμι-

(*b*) V. Jeremiæ Patriarchæ CP. prim. reſponſ. ad Theologos Wirtembergenſes. p. 77.

(*c*) *Pag.* 118.

κοσμικὸν πρόσωπον ἀνδρὸς ἢ γυναικός. Ordinatum illud baptiſma neutiquam decet, ut a quoquam alio quam a legitimo Sacerdote fiat; ſed tempore neceſſitatis conceditur, ut Sacramentum hoc adminiſtret quavis ſecularis perſona, modo vir, modo fœmina.

Aliter, modo ſinit valetudo, infans ſacris Baptiſmi ritibus initiandus ad templum ſiſtitur, cujus in veſtibulo paulo intimius Narthecem verſus extat Βαπτιστήριον, Φωτιστήριον, ὁ λουτὴρ *Lavacrum* ſive κολυμβήθρας (hoc enim nomen a *Piſcina* S. *Joan.* c. v. quæ mirificam ſanandorum morborum vim habuit, vel ab altera S. *Joan.* cap. ix. 7. antiquitus inditum hodie retinetur) vas amplum cubitaliſque profunditatis.

Aqua luſtralis a Sacerdotibus ingenti ceremoniarum apparatu in *Theophaniorum* feſto prius benedicitur; (fit autem hujus aquæ benedictæ poſt Miſſam finitam conſecratio, quam appellant μέγαν Ἁγιασμόν) at cum tantam aquarum copiam, quanta his uſibus ſufficiat, per integrum annum conſervare vix liceat, & ſi modo ſuperſint, putredini ſint obnoxiæ, ſingulis menſibus, citiuſve, ſi occaſio poſtulaverit, nova conſecratur. Ne vero frigus tenellum infantuli corpuſculum nimium atrociter convellat lædatque, injectis floſculis ſuaveolentibus aquam plerumque fervefaciunt, cui inſufflatæ & cruce ſignatæ ſacrum oleum, quo totum ungitur corpus, ſuperaffundens, ambabuſque manibus illum erecto corpore & ad Orientem converſo tenens Sacerdos myſticum ritum peragit hac formula: Βαπτίζεται ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ ὁ δεῖνα, εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, Ἀμήν. *Baptizatur Servus Dei N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum. Amen.* Sive, ſi ſit al-

terius ſexus, Βαπτίζεται ἡ δούλη τοῦ, &c. *Baptizatur ſerva*, &c. Ita enim ſemper paſſive enunciatur, per modum declarationis indicative, Βαπτίζεται, non βαπτιζέσθω ἢ βαπτίζω σε, *Baptizetur N. aut Baptizo te:* quod duplici de cauſa contendit D. *Gabriel*, (*d*) in συνταγματίῳ περὶ τῶν ἁγίων καὶ ἱερῶν μυστηρίων, tum quia, licet *Chriſtus* Sacramentum hoc inſtituens active pronunciaverit, πορευθέντες μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς, paſſive legitur apud S. *Marcum* cap. XVI. 16. ὁ πιστεύσας καὶ βαπτισθεὶς σωθήσεται, tum modeſtiæ & humilitatis cauſa: τοῦτο ἐπιφωνοῦμεν, ταπεινοφρονεῖν ἐπὶ πάντα μεμαθηκότες: βαπτίζεται γὰρ φαμὲν ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ, συναπακούεται τὸ ὑπ' ἐμοῦ ἢ δι' ἐμοῦ. *Hoc modo enunciamus, qui in omni re de nobis ipſis humiliter ſentire didicimus. Dicimus enim, Baptizatur ſervus Dei, ſubintelligitur autem, a me vel per me:* quod ex S. *Chryſoſtomi* in *Act.* cap. XI. 16. expoſitione evincendum ipſi videtur. Sed cum utraque formula idem plane & citra omnem controverſiam denotet, ſe iniquiores quam par eſt *Græcanicæ* Eccleſiæ & animo plane infenſo eſſe produnt, qui intemperanti invectiva hoc de nomine quoque illam vellicant: nec recte quidem formulam iſtam, quam ſequuntur, ratiunculis e S. Scriptura aut aliunde corraſis eunt vindicatum *Græci* Scriptores, quæ ab Eccleſiæ inſtituto, quod abunde ſufficit, ſuam derivat originem & authoritatem. De poſterioribus verbis εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, apud univerſos *Græcos* convenit, illa ad hujus Sacramenti eſſentiam adeo neceſſario ſpectare & requiri, ut niſi diſtinctim & ex integro proferantur, quidvis aliud fieri, puta ludicrum imitamentum aut hæreticum profanumve

(*d*) Venetiis. A. C. 1600. p. 24. a.

ve abuſum *Baptiſmatis*, potius quam *Baptiſma* autument.

Dum recitantur nomina Perſonarum ſanctiſſimæ & individuæ *Triadis*, infantem ἑκάστῃ προσφωνήσει κατάγει καὶ ἀνάγει *unaquaque prolatione* (cui amen accinit ἀνάδοχος, ſeu σύντεκνος, *Patrimus* ſeu *Pater ſpiritualis*, infantem e lavacro ſuſcepturus, qui unicus eſt) in lavacro *immergit* & exinde *deducit* Sacerdos. h. e. ter, cujus τρίτης καταδύσεως ſive *trinæ immerſionis* ritum a primævorum ſeculorum praxi deductum, ac vel ab (*e*) *Apoſtolis* vel ab *Apoſtolicis* Viris, optima quidem ratione inſtitutum eſſe, opportunius, cum de ipſius myſterio differendum fuerit, quod hujus narratiunculæ inſtituto non convenit, monſtrabitur.

A quo veteri ritu, quo totum corpus ſubtus aquas ſalutares depreſſum abluitur, calidioribus illis terræ plagis, quibus ſoles fortius vigent, ipſis non religio eſt pro re nata interdum recedere, aquam tribus vicibus ad complendum myſticum ritum ſuperinfudiſſe contentis; ſive vero hoc ſive iſthoc ritu fungantur, eundem effectum manere νεοφώτιστον credunt, nempe (*f*) ἀναίρεσιν τοῦ προπατορικοῦ ἁμαρτήματος h. e. *ablationem peccati originalis* ἀπὸ προπάτορος τοῦ ἀνθρωπείου γένους ſive ab *Adamo* humani generis Progenitore traducti, & εἶναι ἀναμφίβολον σφραγίδα τῆς σωτηρίας τῆς αἰωνίου, *eſſe indubitatum ſigillum vitæ æternæ*.

Infantibus duobus vel pluribus Baptiſmi gratiam ſimul ſuſcepturis, pro eorundem numero toties exhauſto Baptiſterio renovatur aqua, (neque enim eadem

(*e*) Quinquageſimus canon Apoſtolicus jubet τρία βαπτίσματα μιᾶς μυήσεως ἐπιτελεῖν: h. e. ut illic explicatur, τρεῖς δηλαδὴ καταδύσεις ἐν ἑνὶ βαπτίσματι.

(*f*) Ὁμολογ. ὀρθοδοξ. p. 117. 119.

bis uti licet) quam ob conſecrationem prius factam, ſacrumque, cui inſerviebat, uſum non temere ubivis ab humo exſugendam projiciunt, ſed in θαλασσίδιον ἢ χωνεῖον, ſive ſpatium ſub Altari excavatum effundendam curant. Quod de aqua quoque, qua Sacerdos inter celebrandum manus abluit, vel alio modo utitur, dicendum eſt.

Deinde interpoſita prece ſtatim ac ſine mora ad unguendum Neophytum ſuis involucris jam indutum progreditur Sacerdos. *Chriſmatio* enim a Baptiſmate inſeparabilis eſt, & ejus appendix & quaſi complementum habetur; juxta canonem XLVIII. Synodi *Laodicenæ*, qui τῷ ἐπουρανίῳ χρίεσθαι μύρῳ τοὺς φωτιζομένους *illuminatos cœleſti chriſmate inungi* jubet. Id enim, ut explicat *Matthæus Blaſtares* e *Balſamone* & *Zonara*, quos vocabulis retentis prope ubivis exſcribit, ταῖς εὐχαῖς καὶ τῇ ἐπικλήσει τοῦ ἁγίου πνεύματος ἁγιαζόμενον τοὺς χριομένους ἁγιάζει, καὶ μετόχους τῆς ἐπουρανίου τοῦ Χριστοῦ βασιλείας καθίστησιν, εἰ μὴ τὸ τοῦ βίου ἠμελημένον καὶ ἡ τῶν ἔργων φαυλότης ἡμᾶς ταύτης ἀλλοτριώσειεν, *precibus & Spiritus Sancti invocatione ſanctificatum inunctos ſanctificat, & regni cœleſtis Chriſti participes facit, niſi vitæ impœnitentia operumque improbitas nos ab eo alienos reddat.* (g)

Hoc unico ritu Sacramentum *Confirmationis* apud *Græcos* conſtat; inde μύρον ἢ χρίσμα *unguentum* ſive *chriſma* vel junctim τὸ μύρον τοῦ χρίσματος, *unguentum chriſmatis* & σφραγὶς ἢ ἐπισφραγισμὸς ſeu *ſignaculum* & *obſignatio* peculiariter dictum.

Cum vero recens Baptizatos (τελουμένους) chriſmate oblinere, citra omnem adultorum obſignationem, nulla quoque manuum impoſitione omnino intercedente

(g) Vide etiam Jeremiæ 1. reſponſ. p. 63.

dente, *Græcis* ante plura ſecula in uſu fuerit ac etiamnum hodie ſit, qui a Chriſmatis æque ac Baptiſmi iteratione prorſus abhorrent, exemplo veterum *Chriſtianorum*, quos ſequuntur, ſatis ſecuri, ne dicam pervicaces, hinc cavillandi cauſam Zelotæ quidam *Latinis* ritibus addictiſſimi arripuere, *Græcis* non amplius ſupereſſe *confirmationem*. Hinc atrocia convitia alterutrinque ſibi invicem impacta, quaſi mala fide ageretur: hinc, dum *Chriſmationem Sacerdotalem* illicitam & alieni juris uſurpationem criminati ſunt illi, nova ſchiſmatis augendi materies his ſuppetiit, quod ſatis patet ex Encyclica Epiſtola *Photii*, Patriarchæ *Conſtantinopolitani*, in cauſa *Bulgarorum*, quem male ac admodum inſcite comminiſcuntur aliqui, hanc conſuetudinem quaſi ingenio ipſius prius introductam, tandem ingenti, qua pollebat, authoritate apud *Græcos* ſtabiliiſſe.

Inter peragendam hanc obſignationem, quæ ſit *εἰς τὰ διωρισμένα μέλη* ſive in *definitis membris*, puta fronte, oculis, naribus, ore, auribus, pectore, manibus, pedibuſque Sacerdos hæc verba recitat, *σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου, Ἀμήν. Sigillum doni Spiritus Sancti, Amen:* cujus formulæ, ratio hoc modo aſſignatur in ὁμολογίᾳ. *(b)* Καθὼς πάλαι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκατάβηκεν εἰς τοὺς Ἀποστόλους ἐν εἴδει πυρὸς, καὶ ἔχυσεν εἰς αὐτοὺς τὰ χαρίσματά του, τέτοιας λογῆς καὶ τῶρα, ὅταν ὁ Ἱερεὺς χρίει τὸν βαπτιζόμενον μὲ τὸ ἅγιον μύρον, χύνονται ἐπάνω εἰς αὐτὸν τὰ χαρίσματα τοῦ ἁγίου πνεύματος. *Sicut olim Spiritus Sanctus deſcendit in Apoſtolos ſpecie ignis, & in ipſos dona ipſius effudit, tali modo jam, quando baptizatum oleo ſacro inungit Sacerdos, deſuper in illum effunduntur Spiritus Sancti dona.*

Sacrum hoc oleum conficiendi ſolis *Patriarchis* competit

(b) pag. 120.

petit facultas ; ita D. *Gabriel.* (*i*) μύρον---δὶ ἐλαίου παρὰ τοῦ νομίμου Ἀρχιερέως κατασκευασμένου--*unguentum--ex oleo a legitimo Patriarcha confecto*, quod planius *Græco-Barbare* exprimitur, (*k*) πρῶτον ζητεῖται νὰ γίνεται ἀπὸ τοῦ ἀνωτάτω Ἐπίσκοπον τὸ μύρον τοῦτο, *primo requiritur, ut hoc Chriſma fiat a ſummo Epiſcopo :* ὁ Ἀρχιερεὺς - (*l*) τὸ ἅγιον μύρον μονώτατος ἐπιτελεῖ. Cujus tamen uſus & adminiſtratio reliquis Epiſcopis & inferioris ordinis Sacerdotibus, ut ſupra dictum erat, promiſcue conceditur. Conficitur autem ingenti cura & exquiſito rerum, quæ illud componunt, apparatu, feria quinta ſanctæ ſeptimanæ. Reponitur ſtatim, in ſacros uſus poſtea diſtribuendum, in phialis ſive vaſculis vitreis, βυκίοις, quæ communiſſime appellantur Ἀλάβαστρα, alluſione ad hiſtoriam de S. *Maria Magdalena*, S. *Marci* cap. XIV. facta. Ad vim hujuſce ritus firmandam referunt *Græci* verba S. *Pauli* 2 Cor. I. 21, 22. Ὁ δὲ βεβαιῶν ἡμᾶς σὺν ὑμῖν εἰς Χριστὸν, καὶ χρίσας ἡμᾶς, θεός. Ὁ δὲ σφραγισάμενος ἡμᾶς, καὶ δοὺς τὸν ἀῤῥαβῶνα τοῦ πνεύματος ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν. Sed quod ad iſtam materialem, quæ ungendo verſatur, partem ſpectat, apud illos illius uſus non protenditur ultra tempora Pſeudo-Dionyſii Areopagitæ ; neque enim quenquam illo antiquiorem in ſubſidium vocant.

Cum dixerint *Chriſmationem* iterari neutiquam licere, hic unicus caſus a generali iſto effato excipiendus eſt: hoc enim ritu Hæreticos & Apoſtatas, quos errorum ac abnegatæ fidei tandem pœnitet, in Eccleſiæ gremium recipiunt, quaſi gratia Spiritus Sancti in ſancta

(*i*) p. 26. b. & p. 28. a. juxta VI. canonem Concil. Carthaginenſis.
(*k*) p. 121.
(*l*) Synod. Bethlemit. p. 247.

ﬅa ac vera fide iterum firmandos. (*m*) τοῦτο τὸ μυστήριον· δὲν δίδοται δεύτερον παρὰ εἰς ἐκείνους, ὅπου θέλουσιν ἐπιστρέψειν ἀπὸ τὴν ἄρνησιν τοῦ ὀνόματος τοῦ Χριστοῦ, *hoc ſacramentum ſecunda vice non confertur, niſi in illos, qui ab abnegatione nominis Chriſti ſunt reverſuri*: quod omnino eſt ad mentem *Patrum Conſtantinopolitanorum* Canone 7. qui illic quoque formulam iſtam, qua inter ſignandum utuntur, decreto Synodali præſcripſerunt.

Antequam ceremonias & ritus, quibus in auguſtiſſimo & ſacratiſſimo Euchariſtiæ ſacramento utuntur *Græci*, quaſi coram & explicatius repræſentem, pauca de libris Liturgicis, quorum ἐν τῇ μυσταγωγίᾳ ſeu ἐν τῷ τῆς Ἱερουργίας μυστηρίῳ, ſeu ἐν τῇ λειτουργίᾳ, ſive ἐν τῷ Ἱερουργεῖν τὸ δεσποτικὸν σῶμα καὶ αἷμα Χριστοῦ (hæc enim nomina coincidunt) neceſſarius eſt uſus, in anteceſſum prælibanda ſunt. Vocem autem λειτουργία, cum de orationibus cæteriſque ſacris promiſcue dici ſoleat, ad hanc rem ſanctiſſimam peculiariter denotandam hodie reſtrictam habes, exemplo *Græcorum*, qui honoris & diſcriminis cauſa τὴν ἁγίαν, ἱερὰν, καὶ θείαν λειτουργίαν nuncupant, & pro more hodierno Sacerdotem, ab hac præcipua muneris illius parte, tum λειτουργοῦ, tum τελεσιουργοῦ & τελεστικοῦ, h. e. uti præclare explicat *Symeon* Metropolita *Theſſalonicenſis* ἐν τῇ ἐξηγήσει εἰς τὴν λειτουργίαν, ὡς χάριν ἔχοντος μόνον τελεστικὴν εἰς τὰς τελετὰς, *utpote qui ſolam initiativam gratiam habet in ſacris myſteriis*, titulo inſigniunt. Hæ τελεταὶ uſitatius cum epitheto αἱ ἱεραὶ τελεταὶ ſive conjunctim ἱεροτελεστεῖαι audiunt.

Libri autem Liturgici tres tantum ſunt, (neque enim iſte, qui S. *Jacobi* nomen præ ſe fert, utpote

 ὑπο-

(*m*) ὁμολογ p. 122.

ἀποβολιμαῖ@, in ſacro conficiendo legitur, multo minus cæteri, qui S. S. S. Petri, Marci & Matthæi nomina & titulos mentiuntur, a ſanctiſſimis Viris *Baſilio*, *Chryſoſtomo*, & *Gregorio*, qui ὁ Διαλόγ@ dicitur, juxta communem *Græcorum* traditionem, (etſi fortaſſe τῶν προηγιασμένων λειτουργία *Germano* Patriarchæ *Conſtantinopolitano* rectius meliuſque ſit adſcribenda,) quorum memoriam honore quam maximo proſequuntur *Græci*, olim compoſiti. Hos vero per male feriatorum ingenia, quo ſub veterum ſeculorum pietatis prætextu inanis iſta, quam inveniebant, ſuperſtitio melius commodiuſque ſtabiliretur, non illæſos integroſque ſupereſſe, evictiſſimum dant tum variæ interpolationes, quæ novitatem ſapiunt, tum ingens illa codicum MSS. varietas, ut plane diverſi haberentur, niſi quod in quibuſdam ſolennioribus precibus conveniſſent. Vitandæ confuſionis gratia cautum ſtatutumque eſt, ut in iis legendis certus ordo, cujus ſunt retinentiſſimi, a ſingulis Sacerdotibus, quorum arbitrio neutiquam id relinquendum volunt hoc vel illo, prout ipſis lubet, uti, ſervetur, ut iiſdem feriis ubique ſit eadem cultus formula juxta hanc regulam.

Decies tantum vertente anno legitur S. *Baſilii* Liturgia, ſingulis nimirum magnæ Quadrageſimæ Dominicis, hoc eſt, quinquies, incipiendo a Quadrageſima uſque ad Dominicam Palmarum e priori cenſu eximendam, (*n*) quo die Liturgia *Chryſoſtomiana* celebratur; deinde bis in ſancta hebdomade, feria quinta & Sabbato, ἐν ταῖς παραμοναῖς ſeu vigiliis Natalium *Chriſti* & *Epiphaniorum*, & Januarii primo, qui S. *Baſilio* ſacer eſt, ut in Calendario ſupra memoratum fuit.

Reli-


(*n*) V. Jeremiæ Patr. 1. reſp. p. 103.

Reliquis Dominicis ac feſtis S. *Joannis Chryſoſtomi* Liturgiæ altera contractioris conſtantiſſimus eſt uſus.

Ἐν νηστίμοις ἡμέραις ſeu diebus jejunii magnæ Quadrageſimæ, potiſſimum feriis quarta & ſexta, exceptis tamen Sabbatis, Dominicis & feſto Εὐαγγελισμοῦ, habetur ἡ τῶν προηγιασμένων τῆς ἁγίας καὶ μεγάλης τεσσαρακοστῆς λειτουργία ſeu *myſteriorum ante conſecratorum Liturgia.* Sed de his *Præſanctificatis* poſtea ſuo in loco dicendum erit.

Miſſarum ſolennia, quibus ante lucem celebrandis penitus interdictum eſt, hoc modo in genere fiunt.

Sacerdos & Diaconi, οἱ ὑπηρέται τοῦ μυστηρίου, στολαῖς οἰκείαις, i. e. veſtimentis utriſque peculiaribus, abſque quibus ſacrum facere non licet, induti, antequam munera a Chriſtiano populo oblata altari Protheſeos inferenda curent, quanta tum animæ tum corporis puritate ſanctiſſimum illud miniſterium, quod inſtat, aggredi oporteat ſubindicantes, manus ſolenniter & palam quidem lavant; hac autem oblatione (προσκομιδῇ ſeu προσαγωγῇ) dona a communi uſu ſeparantur. Panis conſecrandus, cujus vertex ſigillo figuræ vel circularis vel quadrangulæ hunc in modum inſignitus,



& cultro his uſibus deſignato, quem τὴν ἁγίαν λόγχην ſeu *ſanctam lanceam* nuncupant, hac illac infixus in

varias particulas ſcinditur, vinumque, cui paululum calidæ aquæ admiſcetur, ritibus, quos ex Liturgiis & Euchologiis tranſcribere, tibique hic in conſpectum dare animus non eſt, ante adhibitis, tandem ſolenni hac oratione, quam *τὴν εὐχὴν τῆς προθέσεως* appellant, benedicuntur. Ambo autem juncta ſimul *μίαν προσφορὰν* ſeu unam oblationem conſtituunt.

Ὁ Θεὸς, ὁ Θεὸς ἡμῶν, ὁ τὸν οὐράνιον ἄρτον τὴν τροφὴν τοῦ παντὸς κόσμου, τὸν κύριον καὶ Θεὸν Ἰησοῦν Χριστὸν ἐξαποστείλας σωτῆρα καὶ λυτρωτὴν, εὐλογοῦντα καὶ ἁγιάζοντα ἡμᾶς, αὐτὸς εὐλόγησον τὴν πρόθεσιν ταύτην, καὶ πρόσδεξαι αὐτὴν εἰς τὸ ὑπερουράνιόν σου θυσιαστήριον: μνημόνευσον, ὦ ἀγαθὸς καὶ φιλάνθρωπος τῶν προσενεγκάντων, καὶ δι' οὓς προσήγαγον, καὶ ἡμᾶς ἀκατακρίτους διαφύλαξον ἐν τῇ ἱερουργίᾳ τῶν θείων σου μυστηρίων. ἐκφώνως, ὅτι ἡγίασται καὶ δεδόξασται τὸ πάντιμον καὶ μεγαλοπρεπὲς ὄνομά σου, τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν. i.e. *Deus, Deus noſter, qui cœleſtem panem univerſi mundi alimentum, Dominum noſtrum & Deum Jeſum Chriſtum emiſiſti Salvatorem & Redemptorem, nobis benedicentem & ſanctificantem, ipſe benedicas huic propoſitioni, eamque ſuſcipias in ſupercœleſte tuum altare. Memineris, bone & benigne Deus, eorum, qui obtulerunt, illorumque, pro quibus obtulerunt, & nos in divinorum tuorum myſteriorum celebratione innoxios conſerves:* tum elata voce recitat, *quia ſanctificatum eſt, & glorificatum eſt honoratiſſimnm & magnificum nomen tuum Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum. Amen.*

Finita hac benedicendi formula illico fiunt *δῶρα τίμια καὶ θεῖα*, uti loquitur *Gabriel Severus* Metropolita *Philadelphienſis* in Apologia pro Eccleſia Orientali, i. e. *dona veneranda & divina.* Qua vero de cauſa hanc

hanc ſacratiſſimam & elementis nudis, utpote nondum conſecratis, longe ſuperiorem ſortiantur appellationem, e ceremoniis hunc apparatum jam jam ſecuturis clarius patebit.

De elementis conſecrandis proxime & ſine mora agitur: Diaconus a Sacerdote Evangeliorum codicem acceptum manu præ ſe ferens elevanſque, quo populo det conſpectiorem, Miniſtris λυχνοφόροις ante ambulantibus, e porta boreali exit, quem ſequitur Sacerdos ſacrum facturus, ac area Templi brevi peragrata ingreditur Bema, in medio altari illum depoſiturus: inde circuitus iſte τῆς πρώτης καὶ μικρᾶς εἰσόδου ſive *primi & minoris ingreſſus* nomen habet.

Poſt, hymnus, qui incipit, δεῦτε προσκυνήσωμεν καὶ προσπέσωμεν τῷ Χριστῷ· σῶζον ἡμᾶς υἱὸς θεοῦ, &c. *Venite adoremus, & coram Chriſto procidamus. Salva nos Fili Dei, &c.* & hymnus alter τρισάγιος dictus, Ἅγιος ὁ θεὸς, ἅγιος ἰσχυρὸς, ἅγιος ἀθάνατος, ἐλέησον ἡμᾶς. δόξα Πατρὶ καὶ, &c. *Sanctus Deus, ſanctus Fortis, ſanctus Immortalis, miſerere noſtri. Gloria Patri &, &c.* a choro canuntur, quibus finitis τὸ προκείμενον τοῦ Ἀποστόλου καὶ τοῦ Εὐαγγελίου h. e. *lectionem Epiſtolæ* & *Evangelii* abſolvunt Diaconi. Hucuſque olim ex veteri conſuetudine Catechumenis intereſſe licuit, quos peculiari oratione dimiſerunt, exclamante poſtea Diacono, Ὅσοι κατηχούμενοι προέλθετε, οἱ κατηχούμενοι προέλθετε, ὅσοι κατηχούμενοι προέλθετε· μή τις τῶν κατηχουμένων, ὅσοι πιστοὶ, ἔτι καὶ ἔτι ἐν εἰρήνῃ τοῦ κυρίου δεηθῶμεν. *Quotcunque Catechumeni eſtis, diſcedite, Catechumeni, diſcedite: quotcunque Catechumeni eſtis, diſcedite. Ne quis Catechumenorum maneat. Quicunque fideles*, manete; *etiam atque etiam in pace Dominum precemur.* Precibus a Sacerdote apud ſe & ſecreto

creto fuſis, hymnum Cherubicum poſtea canunt Pſaltæ, h. e. *ἐν εἰσόδῳ μεγάλῃ* in *ingreſſu majori*, qui ſic ſe habet.

Omnibus rite præparatis, ſacriſque muneribus ab altari *Protheſeos* tandem ſublatis, egreditur iterum e porta Boreali Sacerdos, ſacrum calicem coopertum manu tenens, ſacro ſatellitio ſtipatus, hoc eſt, Diaconis reliquiſque miniſtris, (λυχνοφόροις ante ambulantibus) quo majori cum pompa procedatur, ſacram Altaris ſupellectilem, lanceam, ſpongiam, qua abſterguntur diſcus calixque, ac ejuſmodi ſacri ritus inſtrumenta, puta cruces deauratas, thuribula, cereos accenſos, & tintinnabula circumferentibus. Diſcus vero, in quo panis benedictus reponitur conſecrandus, ne cujuſquam oculis ſit obnoxius pateatque, velamine obtectus, non manu ad pectus protenſa, ſed capitis vertici admotus, a Diacono circumgeſtatur. Lento gradu itur in ναὸν, quem circumeunt; quo tempore hymnum Cherubicum modulantur Cantores: Populus interim ingenti cum reverentia & cultu præeuntes excipit, capitibus inclinatis, flexiſque poplitibus, interdumque in pavimentum adorandi cauſa pronus cadit, fimbria ſtolæ ſacerdotalis ori applicita. Nullibi ſolenniora quam in hoc ſacro actu mentis devotæ ſigna exhibent *Græci*, ſignaculo crucis ſeſe continuo munientes, durante pompa, & dicentes pro ſe, *μνήσθητί μου Κύριε ἐν τῇ βασιλείᾳ σου*, *memento mei, Domine, in regno tuo*; Sacerdotibus & Diaconis inter eundum pro populo intercedentibus, *πάντων ἡμῶν μνησθείη κύριος θεὸς ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ, πάντοτε νῦν καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Noſtri omnium memor ſit Deus in regno ipſius, ſemper, & nunc, & in ſecula ſeculorum.* Inde *ἁγίαν πύλην* ſeu ſacram portam ingreſſi, in medio Altari,

tari, quod recta objacet, ubi ſacrum peragendum eſt, (neque enim alibi fas eſt) venerabile illud geſtamen deponunt: hæc proceſſio *τῆς δευτέρας ϗ μεγάλης εἰσόδου τῆς ἁγίας συνάξεως* ſive *ſecundi & majoris introitus ſacræ ſynaxeos* nomine inſignitur, ad diſtinctionem minoris paulo ſupra memorati.

Non te celabo, hanc adorationem, *προσκύνησιν*, a *Græcis* pro more ſolenni præſtitam, mihi, dum Miſſis eorundem celebrandis intereſſem, quam maxime diſplicuiſſe, utpote plane indebitam, neque *εὐλόγως* aut *ἀπροκειματίστως* factam; quod contendit *Gabriel Severus*, hoc potiſſimum argumento, quod dona poſt benedictonem ſint *ὕλη ἐνδεχομένη ϗ ἀναγκαία ϗ ὡρισμένη πρὸς τὸ γενέσθαι κυρίως σῶμα ϗ αἷμα Χριστοῦ*, *materia idonea, & neceſſaria, & determinata, ut fiat proprie Corpus & Sanguis Chriſti:* uti ante illum *Symeon Theſſalonicenſis* ἐν τῇ ἐξηγήσει εἰς τὴν λειτουργίαν: Προσπίπτοντες δὲ πάντες τοῖς ἱερεῦσιν οἱ πιστοὶ δικαίως, τὸ μὲν τὰς εὐχὰς αὐτῶν ἐξαιτούμενοι, ϗ μνησθῆναι τούτων ἐν τῇ ἱερουργίᾳ δεόμενοι. τὸ δὲ τιμῶντες τὰ θεῖα δῶρα. Εἰ γὰρ ϗ μήπω ἱερουργήθη, ἀλλ' ἐν τῇ προθέσει ἀνετέθησαν τῷ θεῷ, ϗ ὁ ἱερεὺς ἐκεῖσε εὐχὴν ἀνέφερε τῷ θεῷ ϗ προσδέξασθαι ταῦτα εἶπεν εἰς τὸ ἄνω θυσιαστήριον· εἰ μὲν ϗ μήπω τετελεσμένα, ἀλλὰ πρὸς τὸ τελεσθῆναι ἡτοιμασμένα εἰσὶ, ϗ ἀνάθημα θεῷ, ϗ ἀντίτυπα δεσποτικοῦ σώματός τε ϗ αἵματος. *Procumbunt autem in genua fideles ante Sacerdotes, & merito quidem; partim illorum preces & ſui in Euchariſtiæ celebratione memoriam petentes: partim divina dona venerantes. Quanquam enim nondum conſecrata ſint, in altari tamen Propoſitionis Deo dicata fuere: & Sacerdos illic orationem Deo obtulit, & in ſublime Altare ea accipi precatus eſt. Quamvis igitur conſecratione nondum perfecta ſint, verum ut conſecrentur, diſpo-*

diſpoſita fuere, & Deo dicata & typi Dominici corporis & ſanguinis ſunt.

Quod quam nihili ſit & puerile ac nugatorium κρυσφύγετον, ne extra breviculæ enarrationis, quam ſuſcepi, limites, ſi iſtud convulſum irem, viderer abreptus, tibi relinquo perpendendum. Quod magis mirabere, poſtquam habueris perſpectum, illos poſt Elementorum conſecrationem, de reverentia præſtanda, quaſi prior actio eam penitus exhauſiſſet, parum ſolicitos, vix quippiam honoris venerationiſque ſignum, vel minimum ſaltem, quantum oculis obſervare potui, Symbolis expoſitis oſtenſiſque exhibere. Sed de his poſtea fuſius agam, rem nude & breviſſime in præſenti explicuiſſe contentus.

Sacris vaſis ſuper ſanctam Menſam depoſitis, hanc orationem recitat Sacerdos μυστικῶς ſive *ſecreto*, quam ex Miſſa *Chryſoſtomiana* exſcribo, cæteris precibus, Antiphonis, & ritibus, puta adorandi altare verſus, ſuffitum adolendi, ac ſimilibus, quos ſubinde variant, hic, uti ſupra, per totum hujus officii Liturgici contextum, plane prætermiſſis; quæ præcipui ſunt momenti, & ea quidem ex libris Euchologicis, collecturus.

Κύριε ὁ Θεὸς ὁ παντοκράτωρ, ὁ μόνος ἅγιος, ὁ δεχόμενος θυσίαν αἰνέσεως παρὰ τῶν ἐπικαλουμένων σε ἐν ὅλῃ καρδίᾳ, πρόσδεξαι καὶ ἡμῶν τῶν ἁμαρτωλῶν τὴν δέησιν, καὶ προσάγαγε τῷ ἁγίῳ σου θυσιαστηρίῳ, καὶ ἱκάνωσον ἡμᾶς προσενεγκεῖν σοι δῶρά τε καὶ θυσίας πνευματικὰς ὑπὲρ τῶν ἡμετέρων ἁμαρτημάτων, καὶ τῶν τοῦ λαοῦ ἀγνοημάτων, καὶ καταξίωσον ἡμᾶς εὑρεῖν χάριν ἐνώπιόν σου, τοῦ γενέσθαί σοι εὐπρόσδεκτον τὴν θυσίαν ἡμῶν, καὶ ἐπισκηνῶσαι τὸ πνεύμα τῆς χάριτός σου τὸ ἀγαθὸν ἐφ' ἡμᾶς. καὶ ἐπὶ τὰ προκείμενα δῶρα ταῦτα, καὶ ἐπὶ πάντα τὸν λαόν σου· hoc eſt. *Domine Deus omni-*

omnipotens, qui ſolus ſanctus es, qui ſuſcipis ſacrificium laudis ab iis, qui te toto corde invocant, ſuſcipe etiam noſtram, qui peccatores ſumus, orationem, & *adhuc ſancto Tuo Altari, & nos idoneos effice, qui Tibi dona & ſpiritualia ſacrificia pro noſtris peccatis & populi erratis offeramus; & dignare, ut coram te gratiam inveniamus, & ut noſtrum ſacrificium Tibi ſit gratum, & bonus ille tuæ gratiæ Spiritus in nobis habitet, & in his propoſitis donis, & in univerſo tuo populo.*

Interim dum hæc peraguntur, Bematis ſacræ fores occluſæ vel (*o*) velo obductæ omnem ſecuturæ conſecrationis aſpectum populo adimunt, quid intus agat Sacerdos, penitus ignaro; cum nihil oculis obvium, nihil expoſitum habeat, niſi quod certo credat illum partibus ipſius, pro ratione officii, quod ordo Sacerdotalis exigit, ſecundum canonem bene & rite clam defuncturum. Nemini enim illic ſacro faciendo intereſſe licet, præterquam huic miniſterio deputatis. Recitato ſymbolo *Conſtantinopolitano*; laudumque Antiphonis, dum ſanctiſſimum conſecrandi munus exequitur Sacerdos, juxta præſcriptam precum, quæ, cum ex officio Euchariſtiæ facile petendæ ſint, hic omittuntur. Formulam, medio Bematis oſtio conſiſtens, elevat, vultu ad populum converſo, panem, quem in quatuor partes fractum diviſumque in modum crucis componit, particula ejus in calicem, cui infunditur aqua fervens, immiſſa. Tandem participatione tremen-

(*o*) Βηλόθυρον dicitur, *januæ adyti velum*: quandoque ſcribitur *βημόθυρον*: ſed male. Βῆλον enim in ſequioribus *Græciæ* ſeculis pro velo, ponitur: antiquitus *ἀμφίθυρον*, & pluraliter *ἀμφίθυρα*, & etiam *καταπέτασμα*. Hoc vero poſtremum vocabulum quandoque etiam ſignificat, Altaris, quo circumtegitur, inſtratum, in cujus quatuor extremitatibus Evangeliſtarum nomina opere Phrygionico intexuntur.

tremendorum divinorumque Myſteriorum facta, aperitur porta ſancta; cui adſtat Diaconus, ſacrum calicem populo oſtenſurus; deinde poſt communionem populi finitam, ſumpto diſco cito ſe a porta proripit verſus Protheſin.

Formula communicandi ita ſe habet: Μεταδίδοταί σοι τὸ τίμιον καὶ ἅγιον καὶ ἄχραντον σῶμα τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, εἰς ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν, καὶ εἰς ζωὴν αἰώνιον. *Communicatur tibi venerandum, ſanctum, & illibatum corpus Domini Dei Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum, & in vitam æternam.* Identidem traditurus calicem Diacono, verba hæc pronunciat Sacerdos: Μεταλαμβάνεταί σοι τὸ τίμιον καὶ ἅγιον αἷμα τοῦ κυρίου καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν, καὶ εἰς ζωὴν αἰώνιον· *Communicatur tibi pretioſus & ſanctus ſanguis Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum, & in vitam æternam.* Hic tamen verborum tenor in perpetuo uſu non eſt. Variatur enim interdum in hunc modum, Μεταδίδωμί σοι τὸ τίμιον, & Μεταλαμβάνεις τὸ τίμιον, *impertior* tibi, ---& *communicas.*

Extra Baſilicam portam Bematis populo ad hæc ſupercœleſtia myſteria percipienda admiſſo, h. e. ad ipſam ſoleam, & hac formula, μετὰ φόβου θεοῦ καὶ πίστεως (& ut alii codices habent, καὶ ἀγάπης) προσέλθετε, *cum timore Dei & fide & charitate accedite*, a Diacono invitato, conſecrati panis particulam, unam aut plures, quas μαργαρίτας ſive *uniones* appellant, vino imbutas, utpote e calice eductas, cochleari (τῇ λαβίδι) exhibet Diaconus. Soli enim Clerici elementa ſeorſim percipiunt. Pene erecti ſtant, niſi quod percepturi ſacroſancta ſymbola, caput & genua inclinent. Quo pacto ſub utraque ſpecie ſimul communicat populus.

(p) Ita

(p) Ita (q) enim ſtatuitur ὁμολογία: Ἡ δὲ κοινωνία τοῦ μυστηρίου τούτου πρέπει, νὰ γίνεται καὶ κατὰ τὰ δύο εἴδη τοῦ ἄρτου καὶ τοῦ οἴνου τόσον ἀπὸ τοὺς πνευματικοὺς· ὅσον καὶ ἀπὸ τοὺς κοσμικούς· ἐπειδὴ ὁ Χριστὸς δὴν ἐκβάζωντας κἂν ἕνα οὕτω προσέταξε λέγων, Ἀμὴν ἀμὴν-διάτι καὶ οἱ ἅγιοι Ἀπόστολοι κατὰ τὸν τρόπον ὅπου τὸ ἐπαραλάβασιν ἀπὸ τὸν Χριστὸν, οὕτω καὶ τὸ ἐπαραδίδα εἰς κοινωνίαν κοσμικῶντε καὶ ἱερομένων, καὶ εἰς τὰ δύο εἴδη, καθὼς γράφει πρὸς Κορινθίους ὁ Παῦλος ὁ Ἀπόστολος. *Communicationem hujus Sacramenti ſub duabus panis & vini ſpeciebus tam a Religioſis quam a Secularibus celebrari convenit: quandoquidem Chriſtus neminem expreſſim deſignans ita ordinavit, dicens, Sancti Joannis cap.* VI. *v.* 53. *Amen, amen dico vobis, niſi ederitis carnem Filii, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qua de cauſa etiam ſancti Apoſtoli pariter quod a Chriſto acceperint, id de hominum Secularium & Religioſorum ſub utraque ſpecie communione tradidere, ut ſcribit ad Corinthios* I. *Epiſt. cap.* XI. *v.* 23. D.*Paulus, dicens, Quod enim accepi a Domino.*

Tandem pane benedicto, qui ideo Ἁγίασμα & θεῖος ἄρτος dicitur, & Εὐλογία, & communiſſime Ἀντίδωρον, utpote, ut *Symeon Theſſalonicenſis* loquitur, ἀντὶ τῶν δώρων τῶν φρικτῶν δηλαδὴ μυστηρίων τοῖς μὴ μεταχοῦσι τούτων παρεχόμενον, *loco tremendorum donorum, Sacramentorum videlicet, iis qui non communicarunt, diſtributus:* (cujus ſola media pars ſigillo circumſcripta, ideo dicta σφραγὶς, conſecratur,) inter Laicos diſtributo, quem ad morbos fugandos efficacem cre-

 dunt,

(p) *Pag.* 125.

(q) Vide etiam Patriarcham Jeremiam. pag. 129. φάτε οὖν, ὅτι μεταλαμβάνειν δεῖ καὶ τῶν ἀμφοτέρων τῶν εἰδῶν, καὶ καλῶς λέγετε. οὕτω γὰρ ἡμεῖς ἐκτελοῦμεν, ἐκ τῶν φρικτῶν μεταλαμβάνοντες μυστηρίων.

dunt, & ægrotantibus amicis impertiunt, ſacrum ritum ſolenni cum benedictione concludit Sacerdos.

Si de conſecrationis momento, quo juxta *Græcos* Symbola in corpus & ſanguinem *Chriſti* tranſeunt ac immutantur, quæras, id tibi perſuaſiſſimum eſſe volo, illos ſanctorum Patrum authoritate & exemplo fretos, prolatis licet verbis, quæ Latini appellant *conſecratoria*, *λάβετε, φάγετε, τοῦτό μου ἐστι τὸ σῶμα*, *accipite, comedite, hoc eſt corpus meum*, divinum illud myſterium nondum peractum conſummatumque opinari. Cum enim S. *Joannis Damaſceni* hac in re ſententiam ſecuti, hanc *μεταβολὴν* Spiritus ſancti in dona propoſita illapſu ac adventu fieri credant, non niſi poſt benedictionem ac preces, quibus divina Spiritus ſancti gratia explicite imploratur, factam volunt. Progreditur ideo Sacerdos inter conſecrandum, Deum his verbis invocans: *κατάπεμψον τὸ πνεῦμά σου τὸ ἅγιον ἐφ' ἡμᾶς καὶ ἐπὶ τὰ προκείμενα δῶρα ταῦτα*: *immitte Spiritum tuum ſanctum ſuper nos, & ſuper hæc propoſita dona:* Et interjecta morula, ter facto crucis ſignaculo, *ποίησον τὸ μὲν ἄρτον τοῦτον τίμιον σῶμα τοῦ Χριστοῦ σου.* *Effice quidem hunc panem pretioſum corpus Chriſti tui: τὸ δὲ ἐν ποτηρίῳ τούτῳ τίμιον αἷμα τοῦ Χριστοῦ σου, & quod eſt in hoc calice, pretioſum ſanguinem Chriſti tui.* Tum manu elata & ſuperincumbente, utriſque benedicens ait, *μεταβαλὼν τῷ πνεύματί σου τῷ ἁγίῳ*, *immutans Spiritu tuo ſancto:* ita in Liturgia *Chryſoſtomiana*, quæ hodie in uſu eſt, legitur. Nec cujuſpiam momenti videbitur, ſi ultima verba, *μεταβαλὼν τῷ πνεύματί σου τῷ ἁγίῳ*, in antiquis Mſs. exemplaribus, quod contendunt aliqui, non reperiantur, cum non niſi Spiritus ſancti interventu preces, quas nemo, pervicacis licet ingenii, interpolatas vel de novo inſertas cavillabitur,

Sacra-

Sacramentum confectum iri ſatis ſuperque demonſtrent. Quid etiam e contextu aliarum Liturgiarum evidentiſſime conſtat; in quibus illa quoque verba occurrunt. Ita (ut a reliquis citandis in præſenti penitus abſtineam) in nupero libello toties laudato *Græca* Eccleſiæ nomine edito, qui inſcribitur Ὀρθόδοξος ὁμολογία τῆς καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας τῆς Ἀνατολικῆς, dogma hoc ſtatuitur; (*r*) illam converſionem fieri διὰ τῆς ἐνεργείας τοῦ ἁγίου πνεύματος, ὃ τὴν ἐπίκλησιν κάμει τὴν ὥραν ἐκείνην, διατελειῶν τὸ μυστήριον τοῦτο ἐπευχόμενος καὶ λέγων, κατάπεμψον τὸ πνεῦμά σου τὸ ἅγιον ἐφ' ἡμᾶς καὶ ἐπὶ τὰ προκείμενα δῶρα ταῦτα, καὶ ποίησον τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον τίμιον σῶμα τοῦ Χριστοῦ σου: τὸ δὲ ἐν τῷ ποτηρίῳ τοῦτο τίμιον αἷμα τοῦ Χριστοῦ σου, μεταβαλὼν τῷ πνεύματί σου τῷ ἁγίῳ. Μετὰ γὰρ τὰ ῥήματα ταῦτα, ἡ μετουσίωσις παρευθὺς γίνεται: *per operationem Spiritus ſancti, quem invocat illo tempore Sacerdos, perficiens hoc myſterium, orans & dicens, immitte Spiritum tuum ſanctum*, ut ſupra. *Poſt enim hæc verba illico fit* μετουσίωσις. Cujuſmodi vero ſit hæc Converſio juxta hodiernum *Græcorum* ſenſum, paucis proxime inquirendum eſt.

Si ullibi in Liturgiis, quibus in Sacro conficiendo utuntur, extitiſſet quippiam, quod dogmati *Tranſſubſtantiationis*, qua naturalis elementorum ſubſtantia, ſolis accidentibus relictis, in totum annihilari fingitur, vel minimum faveret, de vexatiſſima hac lite componenda, qua de *Græca* Eccleſiæ conſenſu utrinque tanta cum acritate dudum certatum fuerit, bene quidem eſſet augurandum. Fruſtra enim & mala prorſus fide ad hunc ſenſum eliciendum torquentur, quæ occurrunt, verba de elementis in corpus & ſanguinem *Chriſti* poſt conſecrationem immutandis, cum id Chriſtia-

H 2 norum

(*r*) pag. 123.

norum nemo, cui ſanum caput & ſana fides, vel in dubium unquam vocaverit. Cuinam vero id de Græcis quaſi idem cum *Latinis* olim ſentientibus perſuadebitur, qui meminerit ſymbola conſecrata eodem tempore, quo ipſummet corpus & ſanguis Chriſti dicuntur, τὰ ἀντίτυπα τοῦ ἁγίου σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ ab illis pariter appellari? quod omnem vel leviculam ſuſpicionem penitus amolitur, quaſi in fidem *Romanenſium* hac de re olim tranſiiſſent. Nihil illic περὶ τῆς μετουσιώσεως reperiendum eſt. Vox illa novitatem ſapit, veteribus Patribus incognita, ac in Liturgiis Symboliſve nunquam hactenus admiſſa, utpote a privatis Doctoribus una cum novo dogmate introducta, cum de modo hujus admirandæ converſionis nihil ſibi ſtatuendum eſſe per tot ſecula duxerit Eccleſia Orientalis. Cui effingendæ *Gabriel* iſte, quem ſupra memoravi, primus, vel ſaltem inter primos, verſatile applicuit ingenium. Sed cum *Venetiis* diu egerit, eundem Scholaſticorum placitis ac commentis abreptum, ne dicam *Romanenſium* fraudibus, licet alias acerrimum rituum *Græcanicorum* defenſorem, circumventum, novo vocabulo illud ſtatuiſſe, quod *Jeremias* Patriarcha *Conſtantinopolitanus*, a quo Metropolita conſecrabatur, plane neſciverat, nemo mirabitur. Longe modeſtius veriuſque *Græca* Eccleſiæ hac in re fidem explicavit reverendiſſimus Ἀρχιερεὺς (ſ) in reſponſo ad Theologos *Germanos*: δοξάζει ἡ καθολικὴ ἐκκλησία, ὅτι μετὰ τὸν ἁγιασμὸν ὁ μὲν ἄρτος μεταβάλλεται εἰς αὐτὸ τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ, ὁ δὲ οἶνος εἰς αὐτὸ τὸ αἷμα διὰ πνεύματος ἁγίου. *Statuit Eccleſia Catholica, poſt conſecrationem mutari quidem panem in ipſum corpus Chriſti, vinum vero in ipſum ſanguinem per Spiritum*

(ſ) pag. 86.

tum ſanctum. Nondum ipſi in mentem venerat iſtud dogma hujus novi vocabuli interjectu definiiſſe. Nec ab illo tempore multos *Gabriel* iſte habuit imitatores, qui eadem loquendi licentia uſi fuerint, dum de iſtoc dogmate, quod Scholaſticis terminis incruſtatum facilius amplexandum propoſuerat, diſſereretur. A qua etiam καινοφωνίᾳ religioſe abſtinuiſſe videntur duæ Synodi *Conſtantinopolitanæ* adverſus *Cyrillum Lucarim* habitæ; altera ſub *Cyrillo Berrhœenſi*, ſub *Parthenio* altera, quarum utraque ex elementis per Sacerdotis benedictionem & Spiritus ſancti adventum verum corpus & ſanguinem Chriſti fieri ſtatuens, nihil ultra definit, nulla interim μετουσιώσεως mentione facta. Licet poſtea nomen ipſum nulla publica authoritate ante firmatum, remque ſub illo nomine contentam, Patrum ſuorum fide hac profeſſione quaſi ejurata arripuerint. (*t*) Ita enim ſtatuunt ἐν ὁμολογίᾳ: Ἡ μετουσίωσις παρευθὺς γίνεται καὶ ἀλλάσσει ὁ ἄρτος εἰς τὸ ἀληθινὸν σῶμα τοῦ Χριστοῦ, καὶ ὁ οἶνος εἰς τὸ ἀληθινὸν αἷμα: ἀπομένονται μόνον τὰ εἴδη ὁποῦ φαίνουνται, καὶ τοῦτο κατὰ τὴν θείαν οἰκονομίαν. *Illico fit* μετουσίωσις, *& mutatur panis in verum Chriſti corpus, & vinum in verum ſanguinem. Solæ manent ſpecies, quæ apparent, & hoc ſecundum divinam diſpenſationem.*

Quorum ope, *Cyrillo Lucari* exauctorato, alter *Berrhœenſis* ſolium Patriarchale aſcenderit, cum ex iſtorum temporum, quibus *Græcorum* fortunæ per diſcordias aliunde fotas maximo in periculo verſarentur, narratiunculis hinc inde alterutrinque ſparſis ſit compertiſſimum, nemini id mirum videri debet, ſi eorundem gratiam aucupari & ulterius mereri hujuſmodi declarationibus ſua intereſſe Patriarcha iſte cæte-

(*t*) pag. 123.

rique Metropolitæ πωτεφίζοντες & plane Λατινόφρονες putaverint. De reconcilianda *Græcia*, cum vis aperta male ſucceſſerit, conſilio & fraudibus agitur, dum *Græci* poſt ſtudiorum curriculum *Romæ* aut alibi in *Italia* confectum ſimulata communione patrios repetentes lares, ad præcipuas dignitates Eccleſiaſticas promoventur, in hoc unum ſubdole intenti, ut ſub zeli & pietatis prætextu a Schiſmatis, quod objiciunt, ſcandalo ac reatu hac unione propoſita contribules liberent. Quod admodum ſtrenue agunt, ingenii, eloquentiæ, ac doctrinæ viribus inſtructiſſimi, quorum artibus quicquid novi interceſſerit videtur maxime referendum.

Interim ſibi gratulentur Zelotæ, *Græcos* hodiernos in hujus dogmatis fide ipſis convenire: triumphos hoſce non invidebimus, quos de *Græcia* deluſa ac victa talibus armis reportaverint. Verum enim vero quam adhuc apud ipſos incoctum ſit, hoc argumento facile evincendum erit, quod Scholaſticorum ſubtilitatibus nondum aſſueti, ſi quando horrendis e Scriptura ſacra eque Philoſophia petitis inter diſputandum urgeantur conſequentiis, plane attoniti, nihil habeant, quo ſe tueantur, præter hoc unicum, *τοῦτ' ἐςὶ μέγα μυςήριον*, *illud eſt magnum myſterium*. Eſto magnum, eſto venerandum, quod ultro fatemur, inque æternum fatebimur: at quam melius paci Chriſtianorum conſuleretur, ſi in definiendo *præſentiæ modo* non eouſque audaciæ fuiſſet proceſſum?

Cætera, quæ ad hanc materiam Euchariſticam ſpectant, in cumulum abſque ordine & quaſi συμφύρδην conjiciam.

Græci, qui a majorum veſtigiis latum quidem unguem hac in re ſibi diſcedendum eſſe nefas ducunt, in

in Sacramento Euchariſtiæ pane fermentato adhucdum utuntur: quod tanta cum acritate tuentur ac faciunt, quaſi Chriſtianis Azymorum uſu *Chriſtus*, hoc myſterium inſtituturus, clare ac penitus interdixiſſet. Ita enim Inſtitutionis verba interpretantur, *Chriſtum* panem dixiſſe *corpus* ſuum, non vero *Azymum*, quaſi nullus abſque fermento verus panis conficeretur. Hinc, dum aſſertum velint, Chriſtum ſolo pane fermentato in Euchariſtiæ celebratione uſum fuiſſe, belle fingunt, illum Luna decima tertia Paſcha celebraſſe, conſuetum tempus uno die maturius anticipantem, quo nullus erat Azymorum uſus: cui opinioni ſtabiliendæ e Græcis Scriptoribus (*u*) quidam eo ſtultitiæ, ne dicam inſaniæ, devenerunt, ut vel ipſius panis, quem in ultima cœna conſecraverat Chriſtus, particulam, inter ſacras reliquias, in ſacello palatii Imperatoris Conſtantinopoli repoſitas, exſtitiſſe, quo tempore Urbs erat a Latinis expugnata, præfracte & impudenter aſſeruerint. Ita in ὁμολογίᾳ ſtatuitur, πρέπει νὰ προσέχῃ νὰ εἶναι ἡ πρεπουμένη ὕλη ἤγουν ἄρτος σίτινος ἔνζυμος, ὅσον δυνατὸν, καθαρός. *Oportet cavere, ut ſit materia conveniens, hoc eſt, panis e frumento, fermentatus, quantum fieri poteſt, purus.* Quod dum intemperanti zelo, ne dicam ἀλόγως, urgent, quaſi ab Eccleſia *Latina* ejuſmodi defectu in re plane levi & ἀδιαφόρῳ extraque Sacramenti eſſentiam flagitioſiſſime peccetur, (hinc enim contumelioſum iſtud *Azymitarum* nomen impactum) Schiſma magis magiſque ingraveſcere ſuperioribus ſeculis, longe antequam Imperium *Græcorum* deleretur, cœperat. Quo prætextu ambitioſi Antiſtites utriuſque ſedis, quorum intererat diſſidia foveri, ne alterutri ceſſiſſe viderentur, in ſe invicem, tanquam ſive

(*u*) V. Allat. de libris Eccleſiaſt. Græcorum. pag. 220.

Chriſti ſive Eccleſiæ inſtitutorum prævaricatores, immodeſte nimis debacchati ſunt.

Cum panem, qui conſecrandus eſt, requirant καθαρὸν, illud non tam ad granorum expurgationem quam ad modum conficiendi videtur referendum, ut ii, quorum opera in iſto pane pinſendo & ſubigendo utuntur, ſint in puritate conſtituti. Ideo hoc quicquid eſt officii iſtiuſmodi hominibus ab heſterna venere liberis, aut Καλογρίαις ἢ Παπαδίαις, hoc eſt, *vetulis Monachis* & *Sacerdotum uxoribus*, modo ſint mundæ, quas præ vitæ inſtituto cæteris fœminis ſanctiores arbitrantur, ut plurimum curant demandandum.

Unicam tantum Miſſam eodem die ad idem altare celebrare licet. Altare medium, quod ſupra monui, ἡ ἁγία τράπεζα, his uſibus ſanctiſſimis inſervit: quod unicum quoque olim in ſingulis Eccleſiis fuiſſe, tum ex earum fabricæ diſpoſitione, tum ex uſu, cui deputabatur, cum venerabile hoc Sacramentum ſemel tantum peractum ſeculis primævis neutiquam illo mane eſſet repetendum, conſtat. Neque enim agnovit antiquitas Templorum latera altaribus oppleta: ut nos abunde docet *Paulinus Tyriorum* Epiſcopus in oratione Panegyrica, quam ἐπὶ τῇ τῶν ἐκκλησιῶν οἰκοδομῇ ſive *de Eccleſiarum ædificatione* habuit apud *Euſebium* hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. X. cap. quarto.

Singulis diebus Feſtis & Dominicis Chriſtiano populo, ut debito tempore interſit, pietatis ergo concurrente, pro more ſolenni ex officio ſacrum peragit Sacerdos: aliis quoque temporibus, ſi quis exequiis amicorum celebrandis intentus, aut incolumitati itineris ſacris his auſpiciis conſulens, aliaſve poſtulaverit, pauculis nummulis facile conductus, id præſtiturus.

Quan-

Quandoque ad campos extra urbem & oppida ſacri faciendi cauſa proceditur, ubi olim Eccleſiam ſtetiſſe, vel ruinarum magnitudo oſtentat, vel ſi nulla rudera ſuperſint, traditio vetus conſtantiſſima praxi ab Urbe capta ad hodiernum uſque diem, uti ferunt, firmata ſuadet. Loco editiori prope Ἁγίασμα ſeu *fontem ſacrum*, (neque enim ſacris operari locis ἀκαθιερώτοις abſque Antimenſio fas putant) ponitur Ἀντιμίνσιον. Ἀντιμίνσια ſeu Ἀντιμήνσια (i. e. ad literam, *vice menſarum*. A lingua enim Latina iſtud vocabulum Græco-barbarum omnino videtur arceſſendum) ſunt (*x*) panni quidam conſecrati, quibus vice Altarium utuntur in locis non conſecratis. Interea temporis dum ſacris operatur Sacerdos, projecto illo quod objacet altari ſpatio, extenſo corpore, at facie Altare verſus directa, humi decumbunt ægri, qui febribus intermittentibus, (*y*) aliiſque morbis laborant & conflictantur, pia fide ſibi ſpondentes, ſe Sacramenti hujus, quod celebratur, merito, ac miniſtrantis inter ſacrificandum precibus priſtinæ ſanitati ac viribus tandem redditum iri.

Laicis quater ſingulis annis hæc φρικτὰ καὶ ἄχραντα καὶ ζωοποιὰ μυστήρια, *tremenda & ab omni labe pura & vivifica myſteria* percipere conſuetudine Eccleſiaſtica id exigente incumbit, quorum nemo, niſi ingens premat neceſſitas, cui pietas pariter ac reliqua omnia cedere ſubinde cogitur, in celebribus tum beatiſſimorum *Chriſti* Salvatoris Natalium tum Paſchatis Ἀναστασίμου feſtis, ab hoc ſacro munere, cui rite & majori quidem cum fructu defungendo inſtitutæ jejunandi

 vices

(*x*) *De horum conſecratione v.* τάξιν *in Euchologio menſa vicaria.*

(*y*) Πάντα ἁγίασον εἰς τὸ γενέσθαι τοῖς προσιοῦσι τοῦτο τὸ τελειωθὲν θυσιαστήριον παντὸς νοσήματος· *ita in quodam Officio conſecrationis Antimen.* Euch. *p.* 652.

vices inſerviunt, abeſt. Neque enim jejuniorum inſtituendorum aut melior ratio aut eorundem obſervandorum ſanctior uſus excogitari poteſt, quam ut rem ſanctiſſimam mente ſanctiſſima quiſque præſtet. Quod utinam, millies millies illud ardentiſſimis votis opto precorque, quotquot Chriſtiani ſunt (neque enim diverſæ Chriſtianorum ſectæ in hac re omnibus neceſſaria, omnibus pari jure debita ac communi, a ſe invicem ſejungi debent) quod tanti myſterii dignitas poſtulat, quam maxime ſerio advertant: γένοιτο, γένοιτο, Κύριε Θεὸς, Κύριε Ἰησοῦ, ὦ πανάγιον Πνεῦμα.

Tempore antelucano ſacris operari vetitum eſt. Poſt μεσονύκτιον in feſtorum vigiliis protrahuntur preces reliquumque officium, uſque dum illuxerit aurora; neque ſe ſtatim ad operandum accingit Sacerdos, ſed tertiam diei horam præſtolatur, quod myſterio, juxta ipſos, non caret, cum eadem hora miniſtraturus, *Deum* oret ὁ θύτης, Κύριε, ὁ τὸ πανάγιον πνεῦμα ἐν τῇ τρίτῃ ὥρᾳ τοῖς Ἀποστόλοις καταπέμψας, τοῦτο ἀγαθὲ μὴ ἀντενέλῃς ἀφ' ἡμῶν. *Domine, qui ſanctiſſimum Spiritum hora tertia in Apoſtolos immiſiſti, hunc, O bone, ne auferas a nobis.* Hinc inter alias criminationes *Latinis* (z) vitio vertunt *Græci*, quod ἐκ πρωΐας λειτουργοῦσι, καὶ οὐ κατὰ τὴν νενομισμένην τῆς καθόδου τοῦ ἁγίου πνεύματος ὥραν, *a ſummo mane miſſam celebrent, & non legitima conſuetaque deſcenſus Spiritus ſancti hora.* Niſi quod feſto Paſchatis pietas ipſorum in celebrandis ſacris ſolis exortum prævenire ſoleat, exemplo B. *Mariæ Magdalenæ* aliarumque ſanctiſſimarum mulierum μυροφόρων, quæ τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων, ſeu ut S. *Lucas* habet, ὄρθρου βαθέως, hoc eſt, *primo & ſummo mane* diei

(z) Vide αἰτιώματα τῆς λατινικῆς Ἐκκλησίας in monument. Græcæ Eccleſ. tom. 3. p. 497.

diei Reſurrectionis ad monumentum, quo *Chriſtum* tumulaverant, acceſſerunt.

Tempore magnæ Quadrageſimæ præter in *Sabbatis*, *Dominicis*, & feſto *Annunciationis*, poſt meridiem celebratur Euchariſtia.

Mos apud illos invaluit, in ſe quam maxime laudabilis, quod antequam ſacra hæc myſteria ſint percepturi, rogata invicem venia ſibi, ſi quicquam deliquerint, in mutuam gratiam redeant. Diaconus a Sacerdote conſecrante, qui non niſi omnibus conciliatus altare accedit, eam poſtulat: Sacerdos, capite tum ad dextram tum ad ſiniſtram leni motu converſo, idem innuit, ut ab adſtante populo, ſi quempiam offenderit, ſibi quoque condonaretur. E Laicis vero unuſquiſque, clara voce, cæteris audientibus, hæc verba pronunciat, *συγχωρέσετε χριστιανοὶ*, cui unanimi conſenſu reſpondetur, *ὁ θεὸς συγχωρέσῃ σου.*

Nemo niſi jejunus communicat: omnium enim mentibus inſidet hæc opinio, rem fore indigniſſimam & omni gula pejorem, ſi quiſpiam prægustata vel minima cibi aut vini particula id attentaverit, ut pia hæc obſtinatio obſtupeſcenda videatur, qua naturæ infirmitatibus, quibuscum ſubinde colluctantur, ſæpenumero ſuperiores evadunt.

Sacerdos vel Diaconus in porta Baſilica Sacrarii populum ad participandum alta voce invitat, *μετὰ φόβου, πίστεως, καὶ ἀγάπης προσέλθετε*, *cum timore Dei, fide, & charitate accedite*: uti ſupra dictum erat. Quotquot Elementa ſacra percepturi accedunt, licet genibus non flexis, inclinato corpore reverentiam & adorationem teſtantur. Quo tempore hunc fidei actum exercere docentur ſinguli, *πιστεύω καὶ ὁμολογῶ, ὅτι σὺ εἶ ὁ Ἰησοῦς Χριστὸς, ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος, ὁ ἐλθὼν εἰς τὸν κόσμον*

ἁμαρ-

ἁμαρτωλοὺς σῶσαι, ὧν πρῶτος εἰμὶ ἐγώ: Credo & confiteor te eſſe Jeſum Chriſtum, filium Dei vivi, qui veniſti in mundum ad ſalvandum peccatores, quorum ego ſum primus. Qualem formulam, modo reperienda eſſet in antiquiſſimis Liturgiæ *Chryſoſtomianæ* exemplaribus, quod vix quiſquam præſtabit; fruſtra urgent Μετουσιώσεως Patroni & Aſſertores; cum id ad *Chriſtum* in cœlis, quem ſacra illa elementa vere & realiter non repræſentant tantum ſed exhibent, plane ſit referendum.

Pro quarto Eccleſiæ mandato habetur, *(a)* *νὰ ἐξομολογούμεθα τὰς ἁμαρτίας μας τέσσαρες φοραῖς τὸν χρόνον ἔμπροσθεν τοῦ Ἱερέως, τοῦ νομίμως καὶ ὀρθοδόξως κεχειροτονημένου, confiteri peccata quater per annum coram Sacerdote, rite & legitime ordinato.* Tempore præſertim Quadrageſimali hæc *ἐξομολόγησις τοῖς ἁπλουστέροις* ſive *ſimplicioribus*, qui hujus ſalutaris peccatorum remedii alias negligentiores eſſent, injungitur, antequam ſacræ Synaxi interſint. Non hic adeo rigidam, anxiam, aut nimis particularem a pœnitentibus confeſſionem exigunt *οἱ πνευματικοὶ* ſive *ſpirituales*, (ita enim Confeſſarios nuncupant) ut inde ſubductis omiſſiſque præ labili memoria aut pudoris gratia peccatis, vel ſaltem eorundem circumſtantiis, ſe difficiles in abſolvendo præbeant.

Sacerdos quidem *μέλλων τὴν θείαν ἐπιτελεῖν μυσταγωγίαν, ὀφείλει εἶναι προηγουμένως ἐξομολογημένος, divinum myſterium confecturus, primo confiteri debet*, ut in ipſo initio præſcribit *διάταξις* illa Liturgiæ, quæ *Chryſoſtomi* nomen præ ſe fert. Vereor tamen diſciplinam hanc Eccleſiaſticam collapſam hac ex parte deſiderari poſſe, eamque Religioſis aut plebi, niſi fortaſſe

(a) Ὁμολογ. 109.

taſſe in gravioribus peccatis, quæ vaſtant conſcientiam, non adeo curæ eſſe, ut confeſſionem ante ſuſceptum Sacramentum in neceſſariis reponendam cenſeat, cum toties intermittatur. Quod perſonarum crimen eſt, nec hac de re cum quoquam litem movemus, modo juxta antiquos canones debito modo fiat, nulliuſque conſcientiæ injiciantur ſcrupuli, quaſi totius Euchariſtiæ periturus eſſet fructus, niſi intima mentis conſciæ arcana, omnibus vel minutiſſimis circumſtantiis veſtita, Pœnitentiario idem revelaverit.

Pueri licet tenellæ ætatulæ, puta biennes, imo recens nati, modo ſacro lavacro prius imbuti fuerint, (*b*) ſacræ communioni admoventur, quaſi dictum illud beatiſſimi Salvatoris, apud S. *Joannem* cap. VI. v. 53. *niſi comederitis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habetis vitam in vobis*, hanc rem proprie ſpectaſſet, eandemque omnibus, tam infantibus quam adultis, ſacra Elementa ore percipiendi, ubi ea adminiſtrari fas erat, impoſuiſſet neceſſitatem. Quod ſi quis de male intellecta *Chriſti* mente ipſos eat criminatum, praxinque hanc non tantum non neceſſariam eſſe, ſed ne decere quidem, cum infantes, quibus fides & intellectus adhuc in ſemine, horum myſteriorum prorſus ſint incapaces, objiciat, ad antiquiſſima Eccleſiæ ſecula, quibus pene univerſim inter fidei quaſi articulos recenſitum erat hoc dogma, provocabunt.

Quo omni tempore pietati & neceſſitatibus ægrotantium, qui hoc ſacro & cœleſti viatico muniendi ſunt, melius provideatur, feria quinta ſanctæ hebdomadis panis his uſibus inſerviturus ac deſtinandus conſecratur, quem in margaritas comminutum, ac e calice, vel e cochleari, (poſtquam inferiori ſua parte ſacro iſto

(*b*) V. Jeremiæ Patr. reſp. 1. pag. 63. 85.

iſto liquore fuerit intinctus) eductum, atque poſtea acerra ignis diſco ſuppoſita exſiccatum, in pyxide (materiæ ſive ligneæ ſive argenteæ pro ditiori aut pauperiori Eccleſiæ, in qua ſacrum ſit, ſtatu) includunt reſervantque. *(c)* Pyxis autem hæc, τὸ Ἀρτοφόριον, ſacculo bombycino ab omni ſitu, illuvie, ac injuria ſacrum hoc depoſitum defendendi cauſa circumtecta, pone Altare ſuperiori Bematis parte Epiſcopi, ſi in iſta urbe vel oppido ſedem ille habeat, throno imminet, parieti appenſa. Illic lampadem accenſam, interdum plures, honoris gratia, intueri eſt. Quandocunque occaſio tulerit, particulas extractas in ædes infirmorum, ſingulas ſingulis tradendas, pompa quali quali deferunt Sacerdotes, qui panem hunc præſanctificatum non nude aut ſine quapiam miſtura exhibent, ſed vino communi prius curant intingendum, hac duplici, ut videtur, cauſa, tum ut iſto vehiculo, quo in ſtomachum rectius & facilius deſcendat, utantur, tum ut congeneres conſecrati vini particulæ prius hauſtæ præ nimio calore & tractu temporis nimium quam ſiccatæ ac ſopitæ hoc modo excitentur.

Si hac occaſione arrepta hujus antiqui moris originem indagaturus, a recto tramite, cui inſiſtendum eſſet, paulo deflectam, me a pietate tua veniam haud ægre conſecuturum ſpero.

Ab ipſa prima *Chriſti* inſtitutione quotquot *Chriſto* nomina dederunt, ſacræ Synaxi ſedulo & continuo incubuere; quotidie paſſionis, quam hæc ſacroſancta Symbola adeo diſerte præ ſe ferunt repræſentantque, memoriam repetiere, hoc ſpirituali pabulo ſeſe reficientes; quod, ne reliqua teſtimonia aliunde proferenda in præſenti hic immiſceam, colligendum videtur ex

(c) Pyxis, ciborium minus, πυξίον, μυξόμηλον, pro πυξόμηλον. Forte: neque enim illud plane mihi conſtat.

ex *Actorum* capite 11. v. 42. Tanta erat Chriſtianorum fides, tantus zelus, pietas tanta, ut ne per biduum ſibi abſtinendum eſſe cenſuerint. Hoc ex intenſiſſimo erga *Chriſtum* amore factum eſt, qui inſtituit, & inſtitutionem in omne ſeculum, uſquedum venerit in nubibus mundum judicaturus, conſervandam mandavit. Non ſibi licere a ſacro Altari abeſſe, prout libitum erat, ad morem noſtri putarunt, quaſi hoc de Euchariſtia ſuſcipienda præceptum parem obligandi vim ac cætera non habuiſſet. De uſu & beneficio ejus longe aliter ſenſere omnes vere Chriſtiani. Experti quantum divinæ grætiæ ipſis exinde affluxerit, quantos progreſſus in exercitiis Spiritualibus hujus ope fecerint, quàm cœleſti gaudio poſt ſuſceptionem mentes perfunderentur, quantum denique in fide Chriſtiana, quam amplexi fuerint, retinenda, adverſus omnia hujus vitæ mala, adverſus mortem roborarentur, frequentes accurrebant. Vitam graviſſimis periculis certo exponi, ac profeſſionem Chriſtiani nominis morte, & quidem cruenta, crudeli vivicomburio, laniena & crucibus ubique multatam eſſe vident, ſed ſine horrore, ſed læti. Plane incertum erat, utrum in poſterum diem vivendum eſſet nec ne, cum in ipſos adeo ſæviretur. *Jeſum* ideo quotidie in Elementis ſacroſanctis contemplantur, ipſius quaſi in effigie coram ipſis crucifixi mors oculis quotidie obverſatur: hinc novæ vires quidlibet audendi pro *Chriſto* ſuppeditantur; hinc de novo ardet & in flammam erumpit zelus. Hanc pietatem & zelum iterum gliſcentibus perſecutionibus fovebat Eccleſia, quando numerus Chriſtianorum per *Romanum* imperium ampliaretur. Nihil erat a Raptorum manu & violentia tutum, rari Sacerdotes, crimen habebatur capitale & morte luendum edictis Imperato-

peratorum convenire, licet in ſacros cœtus. Quid ergo in hac triſti rerum perplexitate agendum erat? mori non recuſabant pro *Chriſto*, modo *Chriſtum* in Elementis ſacratiſſimis prius receperint. Hinc ipſis permiſſum erat, quantum quiſque ſibi vellet, ex pane conſecrato auferre, & apud ſe reſervare, ut ſi modo coram Judice Ethnico ſiſteretur, ſi a Tribunali ad patibulum & crucem traheretur quiſpiam, haberet quo mentem ſuam in ipſo mortis agone firmaret & ſolaretur. Quod poſtea indultum quoque fuit Eremitis, qui relictis urbibus ſeſe inter denſas ſylvarum arbores, aut in cryptis ſubterraneis procul e conſpectn & conſortio hominum occuluerant, *Deo* ſoli vacantes. Non enim cum ipſorum vitæ inſtituto, quod ſectabantur, conveniebat in urbes frequenter redire. Eorum plerique ad ſacros ordines neutiquam admiſſi, Sacramentum conficere non potuerunt: quo tamen carere & privari nimis durum, nimium triſte & dolendum videbatur, quod futurum eſſet unicum tam diræ ſolitudinis remedium & ſolamen. Ad ipſos ergo vel miſſus panis conſecratus, vel inter ſuſcipiendum, ſi forte urbem repeterent, ejuſdem ablata maſſa in hos pios uſus in ſeceſſus ſui levamen repoſita. Huc origo panem conſecratum reſervandi referenda mihi videtur, paulo ante nimirum tertium a *Chriſto nato*, uti conjectari fas eſt, ſeculum, nec iſtorum temporum pietatem & zelum damnamus. Sed cum in malos uſus panem conſecratum a quibuſdam reſervari tandem compertum fuerit, interdictum eſt a concilio *Cæſaraugustæ*, in provincia *Tarraconenſi* habito anno CCCLXXXI. canone tertio, *ne quis eum ſecum auferret.* Ut plurimum vero ſacer panis reſervatus a Sacerdotibus cuſtodiebatur in uſum ægrotantium, quo

citius

citius & opportunius ipſorum neceſſitatibus ac piis deſideriis ſubveniretur: quod ex epiſtola *Dionyſii Alexandrini* Epiſcopi ad *Fabium Antiochiæ* Antiſtitem de *Serapione* clariſſime liquet. Ille graſſante ſub *Decio* perſecutione, præ animi infirmitate lapſus, morbo, qui mortem intentavit, tandem correptus, plane animi anxius erat, & de accerſendo Presbytero, a quo abſolveretur, quam maxime ſolicitus: Ἔδραμεν ὁ παῖς ἐπὶ τὸν πρεσβύτερον, νὺξ δὲ ἦν· κἀκεῖνος ἠσθένει, ἀφικέσθαι μὲν οὖν οὐκ ἐδυνήθη, ἐντολῆς δὲ ὑπ' ἐμοῦ δεδομένης τοὺς ἀπαλλαττομένους τοῦ βίου, εἰ δέοιντο, καὶ μάλιστα εἰ καὶ πρότερον ἱκετεύσαντες τύχοιεν, ἀφίκεσθαι, ἵν' εὐέλπιδες ἀπαλλάττωνται, βραχὺ τῆς εὐχαριστίας ἀπέδωκεν τῷ παιδαρίῳ, ἀποβρέξαι κελεύσας καὶ τῷ πρεσβύτῃ κατὰ τοῦ στόματος ἐπιστάξαι. *Puer ad Presbyterum cucurrit, jam nox erat. Presbyter autem ægrotabat; ſed quoniam in mandatis dederam, ut morituris, ſi peterent, & maxime ſi antea ſuppliciter poſtulaſſent, venia indulgeretur, quo bonæ ſpei pleni ex hac vita migrarent, exiguam Euchariſtiæ partem* (τὴν μερίδα τῶν ἁγιασμάτων, ut S. *Baſilius* in Liturgia ſacram hoſtiam cuicunque diſtribuendam appellat) *puero tradidit, jubens, ut* (d) *in aqua intinctam ſeni in os inſtillaret:* apud *Euſebium*, hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. VI. cap. XLIV. Præ ingenti erga hanc *Chriſti* inſtitutionem reverentia ſenſiſſe videntur, in mortis articulo Euchariſtiæ participationem omnino neceſſariam fore; ideo tanta cum cura & diligentia cautum eſt, ne ipſa deſtituerentur. Sane quiſquis æternam ſalutem conſecutus eſt, ipſum meritis mortis *Chriſti* conſecutum firmiſſime credimus, nec ejuſdem

(*d*) Ita nimirum interpretando addit *Valeſius*, cum in textu nulla ſit aquæ mentio: ἀποβρέξαι μιλεύσας. Quidni ergo buccellam in vino, ſacro quidem, in Sacerdotis ipſius ædibus etiam ſervato, tingendam dixerimus?

Symbola frequenter ſatis tractare quiſquam poteſt, modo cum debita mentis reverentia tantis Myſteriis perquam digniſſima accedat. Non tamen aſtringi debet ſalus æterna ad externam Communionem, quando illa felix opportunitas non datur. Voluntatem & deſiderium cordis pro ſacrificio accipit miſericors *Deus*, nec plus deferendum ſigno, quam gratiæ internæ, niſi perfecto Chriſti ſacrificio, quod in cruce obtulit, detrahere velimus. Sed jamdudum ceſſaſſe vetus ratio illam reſervandi mihi quidem videtur, cum in orbe Chriſtiano, & etiam apud *Græcos*, ubicunque Eccleſiarum privilegio fruuntur, cuiquam jam liceat omni fere tempore Communioni intereſſe, & Sacerdotes præſto ſint moribundis aſſiſtere. Nec opus eſt longa rerum ambage, quo id fiat, ſi quis in extremis id vehementer cupiat, præcipue ſi hoc animadverſum habeamus, Euchariſtiam, modo ipſius eſſentialia ſpectemus, citius peragi, quam panem conſecratum ex ciborio tolli poſſe.

Poſtquam Sacerdos ad Protheſin ſtans ceremoniis benedicendi panis, (cujus *σφραγίδα* ſive ſupremam partem ſignaculo impreſſam in patina collocat, poſtea in corpus Chriſti conſecrandam) defunctus fuerit, eodem, quo ſupra oſtenſum erat, modo ad benedicendum particulis (*μερίσι*) vel ex eodem pane vel ex aliis, (quos ideo *προσφορὰς* dictos, Miſſarum celebrandarum tempore offerre ſolet populus) deſumptis ſeſe proxime accingit, ille ſecundam Oblatam manu accipiens dicit, *εἰς τιμὴν καὶ μνήμην τῆς ὑπερευλογημένης ἐνδόξου δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου, καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας, ἧς ταῖς πρεσβείαις πρόσδεξαι Κύριε τὴν θυσίαν ταύτην, εἰς τὸ ὑπερουράνιόν σου θυσιαστήριον.* *In honorem & memoriam ſuper omnes benedictæ, glorioſæ Dominæ noſtræ*

ſtra Deipara & ſemper Virginis Mariæ, *cujus interceſſionibus ſuſcipe, Domine, ſacrificium hoc in ſupercæleſte tuum Altare.* Hæc ad dextrum prioris latus apponitur. Novem vero alias in honorem & memoriam S. *Joannis Baptiſtæ*, SS. Apoſtolorum, quorundam Orientalium celeberrimorum Antiſtitum, S. *Stephani* primi Martyris, aliorumque, quos expreſſim nominat διάταξις, & præſertim *Sancti* illius, cujus memoriæ dies iſte feſtus conſecratur, & denique pro univerſo ordine Hierarchico, pro benefactoribus & amicis, omnibuſque viventibus, & in omnium defunctorum, qui in *Chriſto* ſub ſpe vitæ æternæ obdormierunt, memoriam, & peccatorum remiſſionem. Omnes has particulas ad Altare majus, in quo ſolo fit Euchariſtiæ conſecratio, deferendas curat Sacerdos una cum pane conſecrando, quem circumſtant ac pene attingunt. *Symeon Theſſalonicenſis*, ἡ μερὶς ἡ ὑπέρ τινος ἐγγὺς τοῦ θείου ἄρτου κειμένη, ἐν τῷ ἐκεῖνον ἱερουργηθῆναι καὶ σῶμα γενέσθαι Χριστοῦ, εὐθὺς ἁγιασμοῦ αὐτὴ μετέχει, εἰσκομισθεῖσα δὲ καὶ τῷ ποτηρίῳ, ἑνοῦται τῷ αἵματι· *Particula, quæ pro aliquo vivente offertur*, (quod de reliquis dicendum eſt) *juxta ſanctum panem appoſita, quando ille panis conſecratur & corpus Chriſti fit, illico & ipſa ſanctificationis fit particeps, in calicem vero miſſa ſanguini unitur.* Hinc cuivis eruditæ Antiquitatis ſtudioſo apparebit manifeſtum, hodiernam hac in re *Græcorum* praxin ab antiquiſſimo Chriſtianorum ſecundæ centuriæ ritu (quem imitari videbuntur, licet quam plurimis præ ingenio innovandi cupidiſſimo ceremoniis auctum) non parum diſſidere. Cum enim apud eoſdem invaluerit opinio ſuperſtitionis admodum ferax, defunctorum animas, abditiſſimis quibuſdam receptaculis ſubtus terram prope ipſius centrum, divinæ præ-

ſentiæ adhuc exſortes nondumque compotes reponi, *diem judicii* (ut elegantiſſime loquitur *Tertullianus*) *expectantes in candida*, ex amicis & propinquis ſuperſtites, quos hæc ſolicitudo tetigit, primo non niſi annua die oblationes attulere, laborantibus animabus refrigerium quoddam adpoſtulantes, nec diſtinctas quidem, in horum vel harum memoriam & honorem, nec tanquam *ἱλαστικὰς* ſive expiatorias: utpote quo charitas & honos, quibus erga ſanctiſſimæ recordationis Apoſtolos ac Martyres vita functos ferebantur, ſolenniori pompa eluceſcerent, illorum meminiſſe *Deum*, dum ſacrum fecerint, ſolummodo precati ſunt.

Oblatæ hæ, ut loquitur (*e*) D. *Gabriel*, *μετοχικῶς τοῦ ἁγιασμοῦ μεταλαμβάνουσιν participative ſanctitatem accipiunt*, quatenus nempe benedicuntur eodem modo, quo panis in corpus Domini in offertorio majori conſecrandus; & quam maxime cavendum eſt Sacerdoti, ut idem monet, *ἵνα μὴ ἀντὶ τοῦ σώματος τοῦ Κυρίου τὴν μερίδα κοινωνήσωσι μεταδώσῃ*, *ne pro corpore Chriſti*, h. e. pro particula conſecrata, *unam ex his oblatis communicaturis exhibeat*. Fruſtra ergo ſunt, (*f*) qui pro *Oblatarum* numero totidem Hoſtias ſingulis Miſſis offerri opinantur; licet enim in patina reponantur, *ἑνούμεναι τῷ σώματι τοῦ Κυρίου καὶ αἵματι corpori & ſanguini Domini unitæ*, nullam aliam habentes conſecrationem, ejuſdem prorſum cenſus cum reliquo pane benedicto ſunt.

Finitis Miſſis ſolennioribus, quas diebus feſtis celebrant, incipit (*g*) *κολύβων προσφορὰ* ſive *Colyborum obla-*

(*e*) *In tractatulo περὶ μερίδων.*

(*f*) *Inter quos Arcudius* lib. 3. cap. 10. *&c.* C. *Bona de rebus Liturg.* l. 2. c. 1. *pag.* 311.

(*g*) Hujus ritus originem a temporibus Juliani Παραβάτου deductam, ejuſque inſtituendi rationem vide apud Nicephorum Calliſt. Eccleſ. hiſt. lib. 10. cap. 12.

oblatio. Colyba autem ſunt leguminum & potiſſimum tritici grana decocta, quibus in ſatura immiſcentur uvæ paſſæ, nuces, amygdalæ, aliaque καρυκεύματα ſive condimenta. Lance accepta templum luſtrat Sacerdos, unicuique, tam pueris ac mulieribus quam viris, hujus miſcellæ portiunculam diſtributurus, quam omnes ab ipſo, oſculata vel manu vel veſte in reverentiæ ſignum, gratanter & avide quidem accipiunt. Quo ritu ſe communem generalemque mortuorum Reſurrectionem, cujus hoc Symbolum eſt, credere teſtantur, occaſione, ut peculiari opuſculo περὶ τῶν κολύβων oſtendit D. *Gabriel*, ſumpta e verbis Chriſti, S. *Joannis* c. XII. v. 24. *Amen, amen, dico vobis, niſi granum frumenti ceciderit in terram & mortuum fuerit, ipſum ſolum manet; ſi vero mortuum fuerit, multum fructum adfert;* & S. *Pauli*, 1 Epiſtola ad *Corinth.* cap. XV. v. 36, 37, 38. *Deſipiens, quod tu ſeris, non viviſcit niſi mortuum fuerit; & quod ſeris, non corpus oriturum ſeris, ſed nudum granum, ſi caſus tulerit, tritici, aut alicujus ex reliquis ſeminibus. Sed Deus ei dat corpus ut voluit, & ſingulis ſeminibus ſuum corpus.*

Nullibi autem aut ad oculum clarius aut ad fidem veriſimilius repræſentari videtur futuræ Reſurrectionis myſterium, quam per ſtupendam illam granorum frumenti, quæ quaſi evaneſcentia in terræ ſulcis ſepeliuntur, in ſpicas reſuſcitationem. Τὰ καρυκεύματα colybis commixta, cum D. *Gabriel*, ineptulus myſteriorum in quovis ritu indagator, varias tum animæ tum corporis virtutum, quibus ſancti & probi homines in terris ſeſe ornarunt, iiſdem quoque in cœlis ornandi, ſpecies denotare fingat, more ſuo, hoc eſt, nugaciter & imperitiſſime facit, qui levem & nullius

prorſus judicii, ubi cujuſpiam momenti res argumentorum pondere, vel ſi modo incertæ ac dubiæ fidei aut originis, conjecturis tractanda eſt, fere ubique ſeſe prodit. Quanto melius dixiſſet fructus iſtos ſive ornatus cauſa, ſive potius condimentorum vice τῷ σίτῳ ἑψητῷ (uti *κόλυβα* præciſe, nulla alia re addita, interpretatur *Suidas*) ſuperaddi, ut palato hoc edulium gratius acceptiuſque fiat. Conſtat vero ſequioribus ſeculis plurimum ſuperſtitionis his ritibus admixtum fuiſſe, colybaque feſtis diebus Sanctorum & in fide obdormientium in aliorumque pie eorundem honorem & memoriam offerri, & interdum ſuper ſepulchra in cœmeteriis abſumi ſolere.

Toto tempore Quadrageſimali, quod pœnitentiæ ſolennius agendæ dicavit Eccleſia Catholica, præterquam Sabbato, Dominica, & feſto ἁγίου Ἐυαγγελισμοῦ ſive ſacræ *Annunciationis* B. *Mariæ* virginis, ſacrum facere neque per canonas neque per conſuetudines ullatenus licet. Qua de cauſa iſti dies profeſti quadrageſimæ dicuntur Ἀλειτουργητοὶ. At ne ſolenne & maxime verendum *Chriſti* inſtitutum, quod Eccleſiæ Chriſtianæ ad exorandum hujus incruenti ſacrificii oblatione & merito Deum quotidie celebrari intererit, hac intermiſſione negligi videatur, tum jejuniorum Quadrageſimalium ſeveritati, tum Euchariſtiæ celebrationi frequentandæ providendum hoc modo antiquitus videbatur, ut intermedio illo tempore fieret τῶν προηγιασμένων λειτουργία, hoc eſt, *Præſanctificatorum* Miſſa. Ita hodie pro veteri inſtituto tertia poſt meridiem hora, qua jejunium ſolvitur, veſpertinarum precum tempore, licet quandoque quaſi relaxata ſeveriori diſciplina illud tempus citra nefas cenſeant antevertendum, Elementa ante conſecrata exhibent ſumuntque

Sa-

Sacerdotes, ita ut ſola conſecratione excepta ritibuſque præviis, prioris ſit quaſi imago & repetita celebratio. Quali autem precum laudumque forma hic ipſis utendum ſit, ne vani novarum rerum affectatores quippiam ſibi arrogent, præſcribit ἡ Ἀκολουθία ſive Officium huic miſſæ deputatum, in libris Euchologicis reperiendum. Καὶ ταῦτα μὲν περὶ τούτων.

Sub τῆς Ἱερωσύνης ſive *Ordinis ſacri & Eccleſiaſtici* titulo, licet grandius quippiam ſonare videtur, comprehenduntur inferiora miniſteria, διακονίαι, ἢ ὑπηρεσίαι, quæ quoquo modo ad Eccleſiam reſque ſacras ſpectant. Hujus ſeptem ſunt τάξεις ſive ordines.

Θυρωρὸς *Æditunus*, ſive λαμπαδάριος, ad quem accenſarum lampadum, dum peragitur Miſſa, aut aliorſum, ac portas aperiendi & claudendi cura ſpectat; ſed hujus vix aliqua ratio habetur.

Ἀναγνώστης, *Lector*, qui Evangeliorum aliorumque ſacrorum librorum periochas populo legit, licet hoc quicquid eſt officii interdum ex Ambone peragat Diaconus. *Balſamon* in quartum canonem Synodi *Trullanæ*, τὸ τάγμα τῶν Ἀναγνωστῶν, οὐ διὰ τὸ ψάλλειν αὐτοὺς ἐτυπώθη, ἀλλὰ διὰ τὸ ἀναγινώσκειν ἐπ᾽ ἄμβωνος τὰς θείας γραφὰς μετὰ τὴν ἀπόλυσιν τοῦ ὄρθρου· ἐξ οὗ καὶ Ἀναγνῶσται καλοῦνται. *Lectorum ordo inſtitutus eſt, non ut ipſi cantarent, ſed ut divinas Scripturas in Ambone legerent poſt abſolutum officium matutinum: unde etiam Lectores appellantur.*

Ψάλτης, *Cantor*, Ὑμνωδὸς ſive Μελωδὸς, cujus eſt προπάτεια & κανόνας ſive hymnos canere, inde illi κανονικοὶ audiunt, & eorundem præcentor κανονάρχης *Canonarcha*; horum ſingulos verſus dum ille aut quiſpiam alius, interdum puer, ad alterutram Chori partem hac illac ſeſe conferens, alta voce recitat, hi pro

ingenio ſuo modulantur. Exulantibus autem cæteris humanioribus artibus, quas pax & molle otium alunt, quibuſque maxime delectari ſolet ingenua libertas, in iſta miſerrima ac dura, quam ſerviunt, ſervitute non eſt quod expectes, ſolam muſicam ſupereſſe, quæ hic plane inſuavis eſt, & abſque omni arte.

Ὑποδιάκονος, *Subdiaconus*, qui ſacrorum vaſorum veſtimentorumque cuſtos eſt, & in Bemate Altaribus miniſtrans, quicquid facto opus ſit in ſacri faciendi apparatu pro ratione officii peragit. Tantis enim ceremoniis agitur, ne dicam oneratur, res illa maxime ſacra, ut horum opera vix commode deſiderari queat.

De tribus reliquis ſuperioribus ordinibus dicere omnino ſupervacaneum eſt. Tantum hoc de officio Sacerdotali monendum duco, illud, juxta ipſos, *tribus conſtare partibus*, *(b)* ἐν ἐξουσίᾳ καὶ δυνάμει τοῦ λύειν τὰς ἀνθρώπων ἁμαρτίας *in facultate ſolvendi hominum peccata*, τοῦ διδάσκειν *docendi & inſtruendi populum*, καὶ τοῦ λειτουργεῖν καὶ προσφέρειν τὴν ἀναίμακτον θυσίαν πρὸς τὸν θεὸν, & *ſacrum faciendi & offerendi incruentum ſacrificium ad Deum*.

In

(b) Sacerdotium in facultate hoc ſacro ordine collata hæc tria officia exercendi conſiſtere certiſſimum eſt, juxta nimirum ipſos Græcos, & ad mentem quoque Antiſtitum, aliorumque, qui iſtam ὁμολογίαν in uſum popularium ſuorum lingua Græca vulgari compoſuerunt: licet in loco, quem in editione 1678. citare, hæc verba tantum occurrant: εἰς τὴν οἰκονομίαν τούτην δύο πράγματα περιέχονται: omiſſa nimirum neceſſaria ſacerdotalis muneris Euchariſtiam celebrandi parte: quod omnino ſupponi debet: nec id, ut adderetur, neceſſarium forte judicarunt; cum prius dixiſſent in initio explicationis hujus myſterii, pag. 123. Πρῶτον τοῦτο τὸ μυστήριον οὐδένας ἄλλος ἠμπορεῖ νὰ τὸ κάμῃ εἰς ὁποίαν χρείαν καὶ ἂν τύχῃ παρὰ νὰ εἶναι Ἱερεὺς νόμιμος: *Primo, quo nemo niſi ſacerdos legitime conſtitutus & ordinatus myſterium hoc conficere poſſit.*

In his vero Ordinibus, potiſſimum ſuperioribus, conferendis ſerio & rigide cavetur, ut quotquot ad Eccleſiaſticum ſive miniſterium ſive dignitatem promovendi ſint, *(i) ἔχωσιν ὅλα τὰ μέλη γιερὰ, ὅπου εἶναι ἀναγκαῖα εἰς τοῦτο, cuncta membra illæſa habeant, ut quod ſui eſt, præſtent.*

Quod ad reliquas ordinandorum qualitates ordinationumque ritus attinet, cum ea res longiorem accuratioremque requirat diſſertationem, quam quæ huic compendio impendi poſſit, & plane ſit præter inſtitutum, mallem Te, ſi id tanti eſſe æſtimes, ad libros Euchologicos & Archieraticos cæteraque *Græcorum* Ordinalia ablegare, quam in iis exinde exſcribendis tempora tua diutius morari; hoc unicum ultra dixiſſe contentus, omnes ordines, etiam infimos, fieri per impoſitionem manuum Epiſcopi, ut *ἱερωσύνη* & *χειροτονία* apud quoſdam Scriptores idem interdum plane ſint, terminis utpote converſis confuſiſque.

Apud *Græcos* tum neceſſitas tum exiſtimatio & honos ſacerdotii hinc maxime conſtat, quod ſi quis criminum admiſſorum conſcientia gravatus, quietem medelamque animæ laborantis & ſauciæ conſequi velit, adeundus ſit Sacerdos.

Pœnitentiam vero iſtam, quæ abſolutionis gratiam poſt ſe trahit, neceſſario antecedit *(k) ἡ διὰ ςόματος ἐξομολόγησις πάντων τῶν ἁμαρτημάτων καθ' ἕκαςον*, non ſcripto peragenda, ſed *oris confeſſio omnium & ſingulorum peccatorum*, cujus inſtituti rigor quomodo emolliendus ſit, ſupra oſtenſum erat.

Non cuivis Sacerdoti licet Πνευματικὸν ſive Confeſſarium agere, ſed diſcretioribus ætatis provectioris,

I 5 qui-

(i) Ὁμολογ. pag. 130.
(k) Ὁμολ. pag. 132.

quibus illa facultas ab Epiſcopo, cui ſubjacent, demandatur: quos Spirituales Patres tantopere colunt, ut τὸ κανόναν (ſic enim *Græco-barbare* dici ſolet, quia juxta præſcriptum antiquorum canonum infligitur,) ſive ἐπιτίμιον, hoc eſt, quicquid in pœnam inque indicium pœnitentiæ injungitur præſtandum, omni cum ſedulitate præſtare ſatagant. Pœna in pecuniarias mulctas, (utinam non fraudibus & avaritia Sacerdotum) ſæpe ſæpius commutatur, quæ in iſto rerum afflictiſſimo ſtatu animum magis fortean angunt quam cilicium & rigidiora, quibus ſtatis temporibus aſſuefiunt, jejunia, dum non niſi anxio labore corraduntur nummuli, quibus debito huic ſpirituali ſatisfiat: qua ἱκανοποιήσει, (quam (*l*) D. *Gabriel* per ἔμπρακτον πλήρωσιν καὶ τελείωσιν τοῦ κανόνος ſive *actualem impletionem & conſummationem pœnitentiæ & ſententiæ ex canone præſcriptæ* explicat) facta vel ſaltem fieri indicta, τὸν ἐξομολογούμενον ſive Pœnitentem ita abſolvit Sacerdos; (*m*) ἡ χάρις τοῦ παναγίου πνεύματος διὰ τῆς ἐμῆς ταπεινότητος ἔχει σε συγκεχωρημένον καὶ λελυμένον, *gratia ſanctiſſimi Spiritus per meam humilitatem*, id eſt, mediante meo miniſterio, *te condonatum & abſolutum habet.*

Variatur autem abſolutionis formula, quæ Pœnitentiarii arbitrio & diſcretioni relinqui videtur, cum res una eademque ſit diverſis loquendi modis exprimenda. Talis occurrit apud (*n*) *Chriſtophorum Angelum*, ſcriptorem non omnino in explicandis *Græcæ* Eccleſiæ ritibus contemnendum, Κατὰ τὴν ἐξουσίαν, ἣν ἔδωκεν ὁ Χριστὸς τοῖς Ἀποστόλοις αὐτοῦ, εἰπών, ὅσα ἂν λύσετε

(*l*) *Pag.* 42. *a.*
(*m*) *Pag.* 44. *a.*
(*n*) *Cap.* 22.

λύσετε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένα καὶ ἐν τῷ οὐρανῷ, καὶ κατὰ τὴν ἐξουσίαν, ἣν ἔδωκαν οἱ Ἀπόστολοι τοῖς ἐπισκόποις, καὶ καθ' ἣν ἐξουσίαν ἔλαβον ἀπὸ τοῦ ἐπισκόπου μου, ἔσῃ συγκεχωρημένος ἀπὸ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, ἀμὴν, καὶ μετὰ τῶν δικαίων ἡ μερίς σου. *Juxta poteſtatem, quam Chriſtus dedit Apoſtolis, dicens, quacunque ſolveritis in terra, erunt quoque ſoluta in cœlo, & juxta poteſtatem, quam Apoſtoli dederunt Epiſcopis; & juxta poteſtatem, quam ab Epiſcopo meo ipſe accepi, eris venia donatus a Patre & Filio & Spiritu ſancto, Amen: & cum juſtis portio tua.* In precibus condonatoriis, quas exhibet Euchologium, ἐπὶ μετανοούντων καὶ ἐξομολογουμένων *ſuper pœnitentes & confeſſos* a Sacerdote recitandis, ita habetur, αὐτὸς δέσποτα ἄνες, ἄφες, συγχώρησον τὰς ἁμαρτίας, *ipſe Domine, relaxa, dimitte, & condona peccata:* τοὺς δούλους σου λόγῳ λυθῆναι εὐδόκησον *ſervos tuos verbo abſolvi benevolus dignare*; item, ὡς ἀγαθὸς καὶ φιλάνθρωπος Θεὸς συγχώρησον, *ut bonus & miſericors Deus condona:* alias, αὐτὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν καὶ κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς συγχωρήσαι σοι πάντα, ὅσα νῦν ἐνώπιον αὐτοῦ τῇ ἐμῇ ἐλαχιστότητι ὡμολογήσω καὶ ὧν ἀπελάθου, *Ipſe Salvator noſter & Dominus Jeſus Chriſtus condonet tibi omnia, quæ nunc coram ipſo meæ tenuitati confeſſus es, & quorum oblitus es:* alias, Αὐτὸς δέσποτα συγχώρησον καὶ τὸν δοῦλόν σου, ὁ ἐπὶ τοῖς ἰδίοις οἷς ἔπραξε πλημμελήμασι δι' ἐμοῦ τοῦ ἀναξίου καὶ εὐτελοῦς, καὶ διαλλάγηθι καὶ ἕνωσον αὐτὸν τῇ ἁγίᾳ ἐκκλησίᾳ: *Ipſe domine condona ſervo tuo propria, quæ commiſit peccata, per me indignum & humilem, & ipſi reconciliatus eſto, & ſanctæ Eccleſiæ illum adjunge;* alias, αὐτὸς ὁ θεὸς συγχωρήσῃ σοι δι' ἐμοῦ τοῦ ἁμαρτωλοῦ, *ipſe Deus per me peccatorem condonet tibi.* Et quandoque breviſſime lingua vernacula ἂς εἶσαι συγχωρεμένος, *ſis condonatus.*

E quibus ut ut variantibus formulis perſpectiſſimum eſt, ſententiam abſolutionis a Sacerdote, qui hujus ſacri ritus ſolus miniſter eſt, non in ipſius propria perſona, multo minus *judicialiter*, ſed *deprecative* tantum proferri: unde formulam iſtam, *ἡ ταπεινότης μου ἔχει σε συγκεχωρημένον*, *humilitas mea te habet abſolutum*, hoc eſt, *ego te abſolvo*; ut & illam planius expreſſam, *ἀπολύω σε ἀπὸ πασῶν ἁμαρτιῶν σου, ὅσα ἐξωμολογήσω ἐνώπιον τοῦ θεοῦ καὶ τῆς ἐμῆς ἀναξιότητος*: *abſolvo te ab omnibus peccatis, quæ confeſſus es coram Deo & mea indignitate*; & illam, Ἐγὼ συγχωρῶ σοι πάσας τὰς ἁμαρτίας σου --- *Ego condono omnia tua peccata*, plane novitiam e Latinorum, quos imitari in plurimis amant, forma prorſus irrepſiſſe a vero nullatenus abludit. Non parum (ut id hic obiter addam) Chriſtianæ religioni apud illos uſque firmandæ conducit Eccleſiæ in cenſuris infligendis authoritas, quam venerandam, ſacram, & divinam habent. Harum enim metu a gravioribus peccatis, quæ Chriſtiano nomini ſcandalum pariunt, admittendis, quos virtutis & modeſtiæ amor vix alias retinuiſſet, aque Tribunalibus *Turcarum* adeundis plane arcentur. Pœnam enim graviſſimæ Excommunicationis, qua ſe ad Gehennam abſque omni remedio, ſi moriantur Ἀσυγχώρητοι, damnari credunt, ipſo facto incurrit, quiſquis ad *Turcicam*, uti loquuntur, rejecta ſententia Patriarchali, provocat *juſtitiam*, quod nemo audet, niſi qui Apoſtaſiam deſperabundus animo meditatur: quod etiam in ſuperioribus oſtendi. Tantum valet in gentem querulam & litibus deditiſſimam authoritatis Eccleſiaſticæ reverentia.

Hanc vero de excommunicatis opinationem *Græcorum* mentibus inſediſſe comperi, quod ſi quiſpiam diris hiſce devotus, ante redintegratam communionem,

repen-

repentino caſu, aut mente obſtinata & pacis Eccleſiaſticæ contemptrice, moriatur, ejuſdem corpus naturali ſuo ſtatu per decem aut duodecim menſes illæſum in ſepulchro ſupereſſe, niſi quod totum nigreſcat, & obdurata cute in modum tympani, Dæmonis occupantis afflatu intumeſcat. Inde infelix iſte ἀδιάλυτος nuncupatur Τυμπανιαῖος: ſimili errore abrepti, manes, (quos βουρκολάκας ſive βουλκολάκκας, a fætore, qualis e limo in foſſa putreſcente emitti ſolet, appellant) noctu præſertim, tam in plateis quam in cœmeteriis ſubinde huc illuc curſitantes, interdum ædium januas pulſare, interdum obvios quoſque propriis nominibus appellare fingunt. Ex hac vana & inani imaginatione oritur ſuperſtitioſus metus, ut cuipiam illos in tenebris, ſive ad feneſtras ædium, ſive foris ambulantes alloquenti reſpondere nefas eſſe ducant, donec voce repetita conſtet, ſe non cum lemure, quem tantopere horrent, verba habituros. Si re inexplorata hoc fieret, quaſi certiſſimum imminentis mortis eſſet indicium, emota mente contremiſcunt & exanimantur, mœrore, qui ex melancholia, nulla arte, conſilio nullo amolienda exſurgit, inde contracto. Fruſtra illis perſuadebitur, phaſmata hæc e puerili metu & læſo cerebro figuras ejuſmodi accepiſſe, aut corpora excommunicatorum eandem communem ſortem cum cæteris, ab iſta ferali ſententia immunibus habere. Fabellas enim pro veris hiſtoriis ſtatim importune obtrudunt, quaſi res eſſet exploratiſſima, & effoſſis tumulis ita ſe habuiſſe ingenti cum confidentia aſſeverant. Ex iis vero neminem, diligenti examine ſæpe habito, reperi, qui ſe ejuſmodi horrendis ſpectaculis interfuiſſe dixerit. Nec de credula & imperita plebe loquor; ipſi Sacerdotes, non quaſi ex vafritie hanc

opi-

opinionem in illorum mentibus alerent, ut ob reverentiam cenſuris Eccleſiaſticis debitam, honos ſacerdotii maneat integer, eadem mentis infirmitate laborantes, idem commentum prona mente amplectuntur. Terrore hoc incuſſo (*o*) decreta, quo firmiora magiſque rata habeantur, hac ſanctione munire ſolent Epiſcopi, quemlibet ſecus facientem, quam quod juſſerint, eo ipſo nomine a Deo ſeparandum, maledictum fore, aque ſacrorum communione arcendum, & denique μετὰ θάνατον ἄλυτον, h. e. *corpus ejus poſt mortem in cineres non ſolutum iri.*

Familiari quoque apud omnes ſermone increbreſcit, quod ad hanc fidem firmandam non parum facit, excommunicatorum cadavera, laxata, qua alligati fuerant, ſententia, mox pati diſſolutionem. Qua de cauſa, amici pro amore, quo erga defunctos, qui triſti hoc ſubeunt infortunium, feruntur, τὸ ἀφέσιμον ſive *indulgentiam* ſolent impetrare, quam ad ſepulchrum, (*p*) fuſis ejuſdem argumenti precibus, legit ſacerdos, ut corpus a mali ſpiritus, quo intumuit, inſeſſu liberatum, tandem ſubſidat, inque cineres reſolvatur.

Deſponſatio clandeſtina, ἡ κρυφία μνηστεία, *Græcis* omnino interdicitur; ideo adbibitis teſtibus, quo confirmatior ſolenniorque reddatur, fit a Sacerdote.

Ille, poſtquam in ſacrario manens, perſonis matrimonialem contractum (μνῆστρον) ituris, capitibus prius cruce ſignatis, ad ſacras fores extra ſtantibus cereos accenſos in utriuſque manus tradiderit, una cum ipſis

(*o*) Vide hiſtoriam Patriarcharum Conſtantinopolitanorum a Manuele Malaxo deſcriptam in Turco-Græcia. p. 133. vide etiam pag. 27: 28. 281. 314. ibidem; & Chriſtophorum Angelum in Enchiridio.

(*p*) Vide εὐχὰς συγχωρητικὰς in Euchologio. p. 684. &c.

ipſis εἰς ναὸν revertitur. Illic finitis tandem precibus, duobuſque annulis, quorum alter aureus, argenteus alter ſupra altari antea quaſi dedicationis & conſecrationis gratia deponebantur, jam productis, illum viro, hunc fœminæ donat, hanc verborum formulam ter repetens: Ἀῤῥαβωνίζεται ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ ὁ δεῖνα τὴν δούλην τοῦ Θεοῦ τήνδε, εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμὴν. *Deſponſat ſervus Dei N. ſervam Dei N. in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum. Amen.* Quam quoque formulam mutatis mutandis ad mulierem converſus iterum ter repetit. Ἀῤῥαβωνίζεται ἡ δούλη τοῦ Θεοῦ, ἡ δεῖνα, τὸν δοῦλον τοῦ Θεοῦ, τόνδε, &c. *Deſponſat ſerva Dei N. ſervum Dei.* Dextris digitis immittuntur annuli, qui a Paranympho inde detracti viciſſim commutantur, tum ne fœmina de inferiori ipſius ſorte, quam vilior annuli materia ſubinferre videatur, nimium doleat, tum ut hoc pacto firmetur, jus poſſeſſionemque rerum, quas habent vel ſunt habituri, utriſque ſimul in communi cedere.

Poſt ſponſalia ſtatim ad nuptias, modo velint ſponſus & ſponſa, proceditur, quos ſecreto fieri omnino illicitum eſt: μηδεὶς μυστικῶς στεφανούσθω, ἀλλὰ παρόντων πλειόνων· ὁ γὰρ τοῦτο κατατολμήσας ἐργάζεσθαι, σωφρονιζέσθω τιμωρούμενος· δηλονότι καὶ τοῦ ἱερέως, ὡς τοῖς ἀπρεπέσιν ἑαυτὸν ἐμβάλλοντος, τὰς ἀξίας εὐθύνας εἰσπραττομένου, κατὰ τὴν τῶν Ἐκκλησιαστικῶν κανόνων διάταξιν. (q) *Nemo clam matrimonium contrahat, ſed coram pluribus id fiat. Qui enim id agere auſus ſit, pœnam ſubeat; etiam ipſe Sacerdos, qui rebus indecoris ſeſe ingeſſerit, pœnas quoque pro merito luat, ſecundum Eccleſia-*

(q) *Harmenopulus apud Gabrielem Philadelph. p. 55. a.*

cleſiaſticorum canonum ordinationem.

Coronarum in nuptiis celebrandis adhuc conſtantiſſimus eſt uſus, quarum ſymbola, ne dicam complementum, habentur; unde στεφάνωμα pro nuptiis frequentiſſime occurrit, & στέφεσθαι & στεφανοῦσθαι idem ac γαμεῖσθαι. Coronæ autem ex oleaginis ramuſculis conſtant, quos ſetæ candidæ purpureis intextæ circumdant. Altera viri caput tegens, Sacerdos pronunciat, στέφεται δοῦλος τοῦ Θεοῦ, ὁ δεῖνα τὴν δούλην τοῦ Θεοῦ, τήνδε, εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. *Coronatur, hoc eſt, in uxorem ducit ſervus Dei N. ſervam Dei N. in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti*; altera fœminam coronat, eadem formula, mutatis mutandis, utens, στέφεται ἡ δούλη τοῦ Θεοῦ ἡ δεῖνα, &c. hoc eſt, *ſerva Dei coronatur*, id eſt, *nubit*, &c. Dextris manibus ad invicem implexis ambos benedictione ter impertit, dicens, Κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν, δόξῃ καὶ τιμῇ στεφάνωσον αὐτούς. *Domine Deus noſter, gloria & honore corona eos.* Denique commue poculum ab utriſque delibandum, tum in lætitiæ & concordiæ ſignum, tum in mutui convictus earundemque rerum poſſeſſionis arrham porrigit.

Ad augendam nuptiarum ſolennitatem, communem, quam victuri ſunt, vitam a ſacra communione auſpicantur ſponſus & ſponſa: ille quatuordecim, illa tredecim annis ſemper major; neque enim immaturior ætas per canonas matrimonio apta eſt. Τῶν κρατούντων ſive *quorum in poteſtate ſunt*, ſive ſint Parentes, ſive Domini, ſive Tutores, conſenſum adeo neceſſarium hac ex parte judicant, ut citra ipſum, matrimonium illicitum & quaſi πορνεία habeatur: qualem quoque cenſuram vibrant adverſus λαθρογαμήσαντας ſive *clandeſtinis nuptiis copulatos.*

Non multum favent ſecundis nuptiis, primorum ſeculorum rigorem nimis preſſe & præter æquum ſecuti. Quod vero ad *τειγαμίαν* ſpectat, tanquam canonibus Eccleſiaſticis omnino vetitam, ejuſmodi nuptiis implicitos immodici luxus & *ἀκολασίας* accuſant. Si ultra in matrimoniis contrahendis progrediantur, illos, ut deteſtandi ſceleris reos conſcioſque, damnant. Contra hanc uxorum viciſſitudinem, quam ad conflandum odium & invidiam perperam & injuſte *(r)* *πολυγαμίαν* nuncupant, quaſi Deo exoſam, cujus Providentiæ, ſi uxorem unam & alteram morte tolli contigerit, juxta ipſos, affectibus, quibus non ultra indulgeri debet, domitis, mos gerendus eſt, & hominibus ratione præditis indignam; nulla interim aut ætatis aut temperamenti, aut funeſtorum caſuum, qui crebram orbitatem ſubinde inducunt, ratione habita, congeſtis acribus convitiis declamitant.

(ſ) Inter alia matrimonii contrahendi *ἐμποδίσματα*, impedimenta, cenſetur *ἐκ τοῦ ἁγίου βαπτίσματος πνευματικὴ συγγένεια*, *ſpiritualis cognatio e baptiſmate oriunda*, ut exempli cauſa, qui quempiam e ſacro lavacro ſuſcipit, ipſe & filius ipſius ab ejuſdem matre & filia arceantur: *(t)* item, qui duas ſorores hac ſpirituali cognatione conjunctas ducit, item qui eundem patrem luſtricum habent, *παλικάρι* & *κορασίδα*, hoc eſt, *juvenis* & *puella* inde fiunt, ut loquuntur, *ἀδελ-*

(r) Photius Epiſt. 1. ad Michaëlem, Principem Bulgariæ, pag. 39. Πολυγαμία δὲ (quæ hic loci opponitur τῇ μονογαμίᾳ, ut illa τῇ ἀγαμίᾳ) ὑπέραισχρον καὶ μιαρὸν, καὶ τῆς τῶν ἀλόγων ἀκολασίας καὶ ἀκαθαρσίας.

(ſ) *V.* Βασιλικῶν *lib.* 28. *tit.* 5. *cap.* 17. Vide etiam *tit.* 3. *cap.* 16.

(t) *V. determinationem metropolitæ Corinthii* Joaſaphi *apud Cruſ. in Turco Græc. lib.* 4. p. 324. 330. & 339.

φοὶ πνευματικοὶ, hoc eſt, *ſpiritualem quandam affinitatem contrahunt*, ut ab iſtiuſmodi nuptiis tanquam inceſtuoſis quammaxime abhorreant.

Cum ſtatuant (*u*) τοῦ γάμου ἐφ' ὅρου ζωῆς αὐτῶν εἰς κάθα κίνδυνον δὲν ἐξαφίνωται ὁ ἕνας τὸν ἄλλον, *neminem cujuſcunque periculi prætextu per totum vitæ terminum ab alicujus matrimonio dimittendum*, idemque eſſe τὴν συγκλήρωσιν πάσης ζωῆς ἀχώρειστον, *totius vitæ inſeparabile conſortium*; neſcio utrum magis mirer an doleam tot repudiis leviuſculis quidem de cauſis, ἐκτὸς τῆς πορνείας, *extra caſum adulterii*, indultum eſſe, quaſi vinculum iſtud, quod alias fatentur ἄῤῥηκτον, pro vaga cujuſpiam libidine & arbitrio adeo facile ſolvi potuiſſet. Huic malo reverendorum Antiſtitum pietatem tandem aliquando occurſuram ſpero, quos tantum abeſt, ut levitatis aut avaritiæ incuſem, ut genti in vindictam, ubi odium, aut in novos amores, ubi faſtidium irrepſerit, effuſiſſimæ & quam maxime effræni non aliter ſatisfieri poſſe credam, niſi hac iniqua indulgentia.

Oleum ſacrum conficere Sacerdotibus licet, a quibus cavendum eſt maxime, ut ſit καθαρὸν χωρὶς τινὸς ἀρτύματος, *purum abſque omni condimento & miſtura*. Hoc licet ægri in extremis laborantes potiſſimum unguntur, ab aliis extra periculum mortis longe poſitis, vel doloris leniendi vel ægritudinis leviuſculæ ſanandæ cauſa, vel in ſpirituale gaudium munimenve adverſus infenſiſſimum, quocum confligendum erit, animarum hoſtem, modo id expetant, (& expetunt id quidem ſæpiſſime,) ungendis non abſtinent.

Hunc ſacrum ritum ſoli adminiſtrant Sacerdotes, (*x*) πρί-

(*u*) Ὁμολογ. p. 135.

(x) πρέπει νὰ προσέχομεν νὰ γίνεται τὸ μυστήριον τοῦτο ἀπὸ ἱερεῖς μὲ τὰ ἀκόλουθα τοῦ μυστηρίου, καὶ ὄχι ἀπὸ τινα ἄλλον, *convenit, ut attendamus hoc ſacramentum, una cum iis, quæ illud conſequuntur, a Sacerdotibus fieri & non a quoquam alio:* juxta D. *Jacobi* ſententiam, cap. v. 14. *infirmatur aliquis inter vos?* προσκαλεσάτω τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας, *advocet presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* Neſcio tamen, an, quod maxime volunt contenduntque, hinc firmiſſime concludi debeat, plures in illo perficiendo neceſſario convenire oportere. Ἀκολουθία τοῦ ἁγίου ἐλαίου ſive *Officium ſancti olei* ſeptem Sacerdotes in hunc finem congregandos ſtatuit, quorum unuſquiſque partim ungendo, partim precando, munere ſuo ſeorſim defungitur. Non tamen numerus iſte ſeptenarius ita exigendus videtur, quin ſaltem, modo tres conveniant, id peragendum ſit. Ægrotantium frons, aures ac manus oleo hoc ſacro obliniuntur. Originem vero hujuſce ritus alii referunt ad ipſum Chriſtum, cujus juſſu muniti & auctorati Apoſtoli ægros oleo ungentes ſanaverint S. *Marci* cap. vi. 13. Unctionem autem ſemper comitantur preces; unde ritus iſte Εὐχελαίου, hoc eſt, *olei cum oratione* nomen habet: cujus formula exſtat in Euchologio: Πάτερ ἅγιε, ἰατρὲ τῶν ψυχῶν καὶ σωμάτων, ὁ πέμψας τὸν μονογενῆ σου υἱὸν τὸν κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν πᾶσαν νόσον ἰώμενον, καὶ ἐκ θανάτου λυτρούμενον, ἴασαι καὶ τὸν δοῦλόν σου τόνδε ἐκ τῆς περιεχούσης αὐτὸν σωματικῆς καὶ ψυχικῆς ἀσθενείας, καὶ ζωοποίησον αὐτὸν διὰ τῆς χάριτος τοῦ Χριστοῦ σου, πρεσβείαις τῆς ὑπεραγίας δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας, &c.

Ὅτι σὺ εἶ ἡ πηγὴ τῶν ἰαμάτων Χριστὲ ὁ θεὸς ἡμῶν, καὶ

(x) Ὁμολογ. p. 137.

σὺ τὴν δόξαν ἀναπέμπομεν τῷ πατρὶ καὶ τῷ υἱῷ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Pater ſancte, animarum corporumque Medice, qui miſiſti unigenitum tuum filium Dominum Jeſum Chriſtum, omni morbo medentem & a morte redimentem, ſana quoque ſervum tuum N. a corporali & ſpirituali, quæ illum detinet, infirmitate, illumque vivifica per Chriſti tui gratiam, interceſſionibus ſanctiſſimæ dominæ noſtræ Deiparæ & ſemper virginis Mariæ, *&c. quia tu es fons ſanationum Chriſte Deus noſter, & tibi gloriam referimus, Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum.*

Ædes infirmorum oleo hoc ſacro tandem quoque obliniuntur, figura crucis parietibus poſtibuſque expreſſa, quo tempore Sacerdotes *Pſalmum* XC. *qui habitat adjutorio altiſſimi* cantando recitant. Sed de ſeptem *Græcanicæ* Eccleſiæ Sacramentis hactenus.

Inter tot diriſſimæ ſervitutis ærumnas, quæ *Græcos* pene obruunt, ac probra, quibus Chriſtianum nomen a ſordidiſſimæ & rerum ſacrarum contemplationi prorſus ineptæ mentis homuncionibus, qui quicquid ultra ſenſuum ſphæram attollitur, ſannis & ludibrio proni excipiunt, quotidie βλασφημεῖται & laceratur, non leve tum divini favoris & miſericordiæ, tum veritatis orthodoxæ contra vaferrimas quorundam in orbe Chriſtiano (qui ejus fundamenta ſub prætextu *ſobriæ & magis illuminatæ rationis*, ſubtilis ingenii præſtigiis freti, apertiſſime avulſum eunt) machinationes ſtabiliendæ argumentum petendum duco, quod integram illæſamque myſteriorum fidei profeſſionem conſtantiſſime & inconcuſſa mentis firmitate adhuc retinuerint.

Nullus, quo de ſanctiſſima ac individua Trinitate vel

vel de incarnatione æterni filii *Dei* labefactantur Eccleſiæ Catholicæ dogmata, hactenus irrepſit error. Simplicis fidei tenaces, curioſulis diſtinctiunculis, quibus magis obſcuratur, eam non eunt explicatum. *Arii*, *Neſtorii*, & *Pauli Samoſateni* cæterorumque Hæreſiarcharum penitus damnatur veſania. Quorum partibus ſi quis, Evangelicæ veritatis læſæ manifeſtus, faviſſe deprehenſius fuerit, illico e communione ſacra ejectus, diris devovetur, non niſi ejurata cum lacrymis & deprecationibus, quam imbiberat, hæreſi, in Chriſtianorum orthodoxorum numerum iterum recipiendus.

Περὶ τρόπου τῆς ὑπάρξεως, ſive *de modo ſubſiſtendi perſonæ Spiritus* S. cum Eccleſiis Occidentalibus adhuc ipſis non convenit; nec, ſi Antiſtitum reluctantia (ita enim mollius loqui, quam cum quibuſdam pravæ obſtinationis culpam ipſis exprobrare mallem) ſpectetur, unquam poſſe convenire videtur. Criminantur *Græci*, *Latinos* hac in re mala fide egiſſe, qui, ipſis in conſultationem non adhibitis, nulla reverentia, ratione nulla penultimi canonis Synodi *Epheſinæ*, quo id ſub anathemate vetitum erat, habita, additamentum iſtud, καὶ ἐκ υἱοῦ ſymbolo *Conſtantinopolitano* inſeruiſſe auſi fuerint. Provocant enim ad Patrum ſcripta, ad acta Synodalia, ad Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ libros, ad codicum manuſcriptorum fidem, quotquot reperiri poterunt, imo *Romam* ipſam conteſtantur, ſymbolum illud duabus tabulis argenteis juſſu *Leonis* tertii Pontificis *Romani* in Baſilica S. *Petri* appenſis *Latine* & *Græce* inſcriptum, (y) utpote integrum, eademque qua

(y) *Vide etiam Epiſtolam* Photii *ad Archiepiſcopum* Aquileiæ. *p.* 529. *in auctario Bibliothecæ* Græcorum *Patrum* : *ubi doctiſſimus*

Patribus *Conſtantinopolitanis* verborum formula compoſitum, hac additione prorſus caruiſſe. Quæ de hoc dogmate in Synodo *Florentina* alterutrinque diſputata fuerint, repetere inſtituti ratio non ſinit, uti neque quid *Græci* Patres ſua authoritate quam maxime venerabiles olim ſenſerint. A majorum ſuorum veſtigiis vel latum unguem diſcedere *Græcis*, qui hodie vivunt, religio eſt. Ita docuit reverendiſſimus Patriarcha (z) *Jeremias*, ita (a) *Meletius* Patriarcha, idem dedit evictum D. *Cyrillus Lucaris*, quem licet in omnibus excuſandum vix habeam, tamen ſopita poſt cineres conditos invidia, longe meliori fato, quam quod quorundam malis artibus, & nequitia ſubiiſſet, æquis rerum æſtimatoribus digniſſimus videbitur, in Epiſtola, quam ad *Joannem Uytenbogardum* ſcripſit e *Valachia* adhuc Patriarcha *Alexandrinus*. *Ipſa*, id eſt; *Eccleſia* Græca, *Spiritum ſanctum a Filio eſſentialiter, & interne, & quoad eſſe procedere negat*. Idem poſtea ad thronum *Conſtantinopolitanum* pro-

mus Patriarcha Symbolum illud appellat τὸ ἄχραντον τῆς εὐσεβείας Μάθημα *&* τῆς πίστεως ἅγιον Μάθημα *p.* 536. *& in Epiſtola ad* Michaëlem Bulgariæ *Principem*, τῆς ἀχράντου καὶ καθαρᾶς ἡμῶν πίστεως τὸ ἱερὸν καὶ θεόσοφον Μάθημα : *&* p. 2. τὸ ἱερὸν καὶ θεόχρηστον τῆς ἱερᾶς ἡμῶν λατρείας Μάθημα. Juſtinianus *Imperator in* VII. *Lege Cod. de ſumma Trinitate, & fide Catholica*, Ὅρον τῆς πίστεως τοῦτό ἐστι τὸ ἅγιον Μάθημα ἤτοι σύμβολον κρατούμενόν τε καὶ φυλαττόμενον, τὸ παρὰ τῶν τίη ἁγίων πατέρων ἐκτεθὲν, *&c. Hic enim titulus* τὸ Μάθημα *Symbolo præfigebatur, ut videre eſt apud* Socratem *in Hiſtor. Eccleſ.* 1. l. c. 8. *unde in ejuſdem peculiare cognomentum tranſiit, vice illius promiſcue uſurpatum, utpote quod a ſingulis quoque Catechumenis ediſcendum, memoriterque in vera fidei teſſeram recitandum eſſet.*

(z) Reſp. 2. p. 222.

(a) In literis ad Sigismundum tertium, Regem Poloniæ & Sueciæ datis in Ægypto A. C. 1600. apud Regenvolſcium pag. 469. Trajecti ad Rhenum 1652.

promotus in ὁμολογίᾳ τῆς χριστιανικῆς πίστεως, qua ſibi invidiam & fatale odium infeliciſſime conflavit, cap. 1. πνεῦμα ἅγιον ἐκ τοῦ Πατρὸς δι' υἱοῦ προερχόμενον *Spiritum ſanctum a Patre per Filium procedentem.* Quali formula juxta *Græcorum* Patrum mentem utebatur; iſtud enim in Concilio *Florentino* faſſi ſunt *Ruſſenſis* & *Nicenus* Antiſtites, ὅτι οἱ ἀνατολικοὶ ἅγιοι λέγουσι τὸ διὰ τοῦ υἱοῦ, οἱ δὲ δυτικοὶ λέγουσι τὸ ἐκ τοῦ υἱοῦ --- *quod Orientales Patres dicant Spiritum S. a Patre per Filium, Occidentales etiam a Filio procedere* & potiſſimum S. *Maximi* & S. *Joannis Damaſceni*, quos in teſtes produxit *Marcus Epheſius*, οὐχ ὡς ἐξ αὐτοῦ, ἀλλ' ὡς δι' αὐτοῦ ἐκ Πατρ ς ἐκπορευόμενον *non ab illo, ſed per illum a Patre procedentem.* Unde maxime mirari ſubit, in re adeo comperta rationem fugere potuiſſe ſecundæ Synodi ſub *Parthenico Conſtantinopoli* M. DC.XLII. contra *Cyrillum* habitæ Aſſeſſores, illum hac injuſtiſſima cenſura στηλιτεύοντας, quod in illa, quam edidit, confeſſione, τὴν ἀΐδιον καὶ ὑπαρκτικὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος πρόοδον ἐκ Πατρὸς καὶ υἱοῦ ὑποτίθησι παρὰ γνώμην τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας --- *æternam & ſubſtantialem Spiritus S. proceſſionem ex Patre & Filio conſtituat, præter Catholicæ Eccleſiæ ſententiam.* Sed deſino mirari, cum meminerim, Viri ſancti famam apud *Græcam* gentem denigrandam ipſorum intereſſe; & hic quoque, uti in aliis, humanis affectibus, (qui judicium & veritatem aliorſum rapiunt; & bene dicta quovis prætextu in pejus interpretantur) nimium quantum indultum fuiſſe. Ita denique nupera confeſſio, (*b*) Πνεῦμα ἅγιον ἀπ' αἰῶνος ἐκπορευόμενον ἐκ πατρὸς --- *Spiritus S. ab æterno a Patre procedens:* & expreſſius, (*c*) τὸ

(*b*) *Pag.* 22.
(*c*) *Pag.* 90.

πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκπορευόμενον ἐκ μόνου τοῦ Πατρὸς, ὡς πηγῆς καὶ ἀρχῆς τῆς θεότητος· διὰ τὸ ὁποῖον ὁ αὐτὸς σωτήρ μας διδάσκει λέγων, ὅταν ἔλθῃ ὁ παράκλητος, ὃν ἐγὼ πέμψω ὑμῖν παρὰ τοῦ Πατρὸς, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὃ παρὰ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται -- Spiritum S. *a ſolo Patre, utpote fonte & principio Deitatis, procedentem : juxta quod ipſe Salvator noſter nos docet, dicens, cum venerit Paracletus, quem ego ad vos a Patre mittam, Spiritus veritatis, qui a Patre procedit.* S. *Joan.* Cap. XV. v. 26.

Ab argumentis vero recenſendis, quibus proceſſionem Spiritus S. a ſolo Patre eſſe enixiſſime contendunt, in præſens abſtineo, ea juſto operi, ſi Deus dederit, reſervaturus; poſtquam unicum illud, quod doctiſſimus & pientiſſimus Martyr *Cyrillus* in prælaudata Epiſtola fuſius explicandum ſuſcepit, inde protulero; *Ipſa, Græca Eccleſia, Spiritum* S. *a Filio eſſentialiter, & interne, & quoad eſſe procedere negat : quia veretur, ne dicendo a Filio, ut a Patre, duo aſſerat in divinis principia exiſtentiæ Spiritus* S. *quod eſſet impium.*

Interim, ut ab iniquis ſuſpicionibus hanc *Græcorum* opinionem muniam, quaſi in cæteris articulis heterodoxiam poſt ſe trahat, ab omni hæreſeos *Macedonianæ* cæterorumque Πνευματομάχων labe puri & immunes, Spiritus S. eſſe ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ καὶ τῷ υἱῷ, *ejuſdem eſſentiæ cum Patre & Filio*, ab æterno Deum eſſe, *(d)* ἐκπορευόμενον ἀπὸ τὴν οὐσίαν καὶ φύσιν τοῦ πατρὸς ἀνάρχως ἤγουν αἰωνίως, *procedentem ab eſſentia & natura Patris ſine principio ſive æterne*, ἰσότιμον, *æquali cultu adorandum*; deinde Spiritum Filii eſſe, hoc eſt, a Filio πέμπεσθαι, δίδοσθαι, προβάλλεσθαι, προΐχεσθαι,

(d) Ὁμολογ. pag. 27.

ϑῆναι, *προχεῖσθαι*, *ἐκχεῖσθαι*, *ἐμφυσᾶσθαι*, *προϊέναι*, *mitti*, *dari*, *profundi*, *proferri*, *effundi*, *inſpirari*, *emitti*, firmiſſima fide agnoſcunt, hujuſmodi vocabulis, quæ in Evangeliorum paginis Patrumve ſcriptis occurrunt, ſolummodo retentis. Quæ ultima ad miſſionem Spiritus S. a Filio in tempore factam plane referuntur: quam ſi quis proceſſionem vocaverit, non repugnant, modo non intelligatur interna illa proceſſio, ſecundum quam, ut loquitur D. *Cyrillus Lucaris*, *Spiritus ſanctus habet eſſe vel ſuam ſubſiſtentiam.* Neque hoc modo ſanctiſſimæ Triados perſonas confundunt, aut *τὰ προσωπικὰ ἰδιώματα* ſive *perſonales* Filii & Spiritus ſancti *relationes* & proprietates auferunt, cum *ὁ τρόπος γεννήσεως*, quo Filius ſubſiſtit, & *ὁ τρόπος ἐκπορεύσεως*, quo Spiritus ſanctus, maneant diſtincti & inconfuſi. Injuſte ergo vapulant *Græci* ab intemperantis zeli viris, quaſi fidei Catholicæ deſertores, & de Spiritu ſancto tantum non hæretice ſentientes; cum hinc fiat manifeſtum, litem hanc, quæ nimia cum animorum acritate ultra omnem Chriſtianæ vel charitatis vel modeſtiæ modum alterutrinque agitata, horrendo inter Orientem & Occidentem ſchiſmati originem dederit, quod moderatiores fatentur, de phraſi & modo loquendi eſſe. Nec minus diſplicet aliorum temeritas, qui tanta cum confidentia, quaſi arcanorum ſanctiſſimi Numinis conſcii eſſent, pronunciant, Spiritum ſanctum hunc, quem de ipſo errarunt, errorem ultum fuiſſe, & manifeſta iræ in *Græcos* hac potiſſimum de cauſa indicia exhibuiſſe, eo quod *Conſtantinopolis*, Imperii & Religionis *Græcorum* urbs præcipua, in feriis Pentecoſtalibus, hoc eſt, die *Martis*, viceſimo nono die *Maii*, A. Ch. M.CCCC.LIII. a barbaris hoſtibus occuparetur. Hujus conſequentiæ, quam ex hac cir-

cumſtantia temporis rectiſſime deductam credunt, vim exemplo non abſimili confodiam. *Rhodum* feſto beatiſſimorum natalium Chriſti, A. Ch. M. D. XXII. occuparunt quoque *Turcæ*; at quam iniquiſſimum foret, *Rhodienſes*, aut milites *Hieroſolymitanos* læſæ adverſus *Chriſtum* fidei reos hinc vel leviuſcule ſuſpicari, judicent æquiores.

Cum de ſtatu functorum vita e Scripturis ſacris, (quæ fundamentale iſtud principium, cui innititur omnis religio, diverſas nimirum ſortes ab animabus poſt emigrationem e corpore pro diverſa vitæ in ſeculo anteactæ ratione ſubeundas eſſe, cuivis vel mentis ſobriæ & non penitus obbruteſcenti dedere evictiſſimum) humano ingenio ſeſe in res creditu propoſitas curioſe nimium & audacter ingerenti non omni ex parte ſatisfiat, non mirandum videbitur, ſi in ſententiis de earundem modis, quos præ revelationum defectu capere nequimus, vel re nondum in preſſius examen revocata male capimus, colligendis amplexandiſque adeo facile ſit erratum, quod in *Græcorum* excuſationem hic monendum duxi, quos præceps κακοζηλία ſive mala antiquorum imitatio traxerit in errorem.

Cum piorum animas cœlos non recta petere, jam uti & olim in ſeculis antiquioribus, creditum ſit, ubinam collocari debeant, ſuis, quas ſibi nectunt, difficultatibus involuti, plane hærent; locum iſtum, ubi ubi ſit, quem τὰς χεῖρας τοῦ Θεοῦ, *manus Dei*, quia legitur in Eccleſiaſtici cap. III. v. I. δικαίων ψυχαὶ ἐν χειρὶ Θεοῦ, vel *Paradiſum*, ob *Chriſti* ad latronem de cruce ſimul pendentem verba, S. *Lucæ* c. XXIII. 44. vel *ſinum Abrahæ* ex S. *Matthæi* c. X. v. II. ſubinde nuncupant, omnino a cœlo diſtinguendum docet oratio illa, qua in Miſſis celebrandis utuntur: μνήσθη-

τι κύριε πάντων τῶν κεκοιμημένων ἐπ' ἐλπίδι ἀναστάσεως καὶ ζωῆς αἰωνίου καὶ ἀνάπαυσιν αὐτοὺς, ὅπου ἐπισκοπεῖ τὸ φῶς τοῦ προσώπου σου. Memento Domine omnium, qui in ſpe reſurrectionis & vitæ æternæ obdormiunt, & fac eos quieſcere, ubi lumen vultus tui reſpicit. Quorſum enim hæc oratio, niſi illos futuræ gloriæ in divina præſentia poſtea complendæ nondum compotes ſuppoſuerit? Hac tamen ſententia quaſi retracta & damnata, vi veritatis adacti, illas in cœlo collocare videntur: *(e) ὁποῖος ὀνομάσει τὸν τόπον τοῦτον ἕνα ὄνομα ἀπὸ ὅσα εἴπαμεν, δὲν σφάλλει: μόνον νὰ γροικᾷ πῶς εἶναι αἱ ψυχαὶ εἰς τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ, καὶ εἰς τὴν οὐράνιον βασιλείαν, καὶ (καθὼς οἱ ἐκκλησιαστικοὶ ὕμνοι ψάλλουσιν) εἰς τὸν οὐρανόν. Quocunque ex his nominibus locum iſtum quiſpiam appellaverit, non errabit; modo intelligat, animas divina gratia frui, & eſſe in cœleſti regno, & (ut hymni Eccleſiaſtici canunt) in cœlo.* Quod de impiorum animabus, illas nimirum in locum ipſarum, hoc eſt, Ἅδην & πῦρ αἰώνιον, *Hadem* & *ignem æternum* deſcendere, quaſi melius edocti, jam ſtatuunt; quibus, uti in reliquis nominibus, hoc volunt ſignificandum, *(f) πῶς εἶναι τόπος τῆς καταδικείσεως, καὶ τῆς θείας ὀργῆς, εἰς τὸν ὁποῖον καταβαίνουσιν αἱ ψυχαὶ ἐκείνων, ὅπου μισεύουσιν ἀπ' ἐδῶ ὠργισμένοι ἀπὸ τὸν Θεὸν καὶ ἀπεγνωσμένοι, locum eſſe condemnationis & divinæ iræ, in quem deſcendunt animæ abeuntium, quibus Deus iraſcitur & quos rejicit.*

Romanenſium dogma de *Purgatorio*, quod τὸ πῦρ τὸ καθαρτήριον frequentius appellitant, maxima cum animorum contentione, verbis ſaltem rejicere videntur *Græci*, utpote nullo Scripturarum teſtimonio, authoritate nulla muniendum; qua fide populum curant in-

(e Ὁμολογ. pag. 87.
(f) Pag. 87.

inſtituendum in confeſſione cathechetica, *(g)* οὐδεμία γραφὴ διαλαμβάνει περὶ αὐτοῦ, νὰ εὑρίσκεται δηλαδὴ κἂν μία πρόσκαιρος κόλασις, καθαρτικὴ τῶν ψυχῶν ὕστερα ἀπὸ τὸν θάνατον. *Nulla Scriptura de hoc tradit, quod reperiatur quæpiam pœna temporaria, animarum purgativa poſt mortem*, quod altero abſurdo, uti ipſis videtur, premunt; *ſi anima, inquiunt, pro peccatis illic ſatisfaciat*, ἤθελεν ἐμπορεῖ νὰ δεχθῇ καὶ μέρος ἀπὸ τὸ μυστήριον τῆς μετανοίας, *tum pari ratione Sacramenti pœnitentiæ pars illic quoque peragi poſſit*, quod eſt, uti cenſent, ἔξω ἀπὸ τὴν ὀρθόδοξον διδασκαλίαν *ab orthodoxa doctrina alienum.* Veruntamen cum a flammis uſtulatoriis licet quam maxime abhorreant, animas in abditiſſimis receſſibus conditas detentaſque, tum (ἀνιαρῶς) ærumnas ſubire ac perpeti, tum viventium ſuffragiis, oblationibus, & ſacrificiis, ſi non penitus liberari, ſaltem adjutas quoddam refrigerium percipere habeant perſuaſum, ab his difficultatibus quomodo ſe bene expediverint, (neque enim κρησφύγετα moror) non mihi videtur adeo facile aut conceptu aut explicatu. Ita enim Sacerdos orat pro anima defuncti: μετὰ πνευμάτων δικαίων τετελειωμένων τὴν ψυχὴν τοῦ δούλου σου, σῶτερ, ἀνάπαυσον, φύλαξον αὐτὴν εἰς τὴν μακαρίαν ζωὴν τὴν παρὰ σοῦ, φιλάνθρωπε. *Cum ſpiritibus juſtis conſummatis ſervi tui animam, Salvator, fac quieſcere, illamque in beatam vitam, quæ apud te eſt, benigne, cuſtodi:* & poſtea, Ὁ Θεὸς τῶν πνευμάτων, καὶ πάσης σαρκὸς, ὁ τὸν θάνατον καταπατήσας, τὸν δὲ διάβολον καταργήσας, καὶ ζωὴν τῷ κόσμῳ σου δωρησάμενος, αὐτὸς κύριε ἀνάπαυσον τὴν ψυχὴν τοῦ κεκοιμημένου δούλου σου, τοῦδε, ἐν τόπῳ φωτεινῷ, ἐν τόπῳ χλοερῷ, ἐν τόπῳ ἀναψύξεως, ἔνθα ἀπέδρα ὀδύνη, λύπη, καὶ στεναγμὸς, πᾶν ἁμάρτημα

τὸ

(g) Pag. 86.

τὸ παρ' αὐτοῦ πραχθὲν ἐν λόγῳ ἢ ἔργῳ ἢ διανοίᾳ ὡς ἀγαθὸς καὶ φιλάνθρωπος θεὸς συγχώρησον, *Deus ſpirituum omniſque carnis, qui morte conculcata & Diabolo expugnato vitam mundo largitus es, ipſe Domine, fac quieſcere animam ſervi tui defuncti N. in loco lucido, in loco amœno, in loco refrigerii, ubi dolor, ærumna, & ſuſpirium aufugit. Omne peccatum ſive verbo, ſive opere, ſive cogitatione ab ipſo admiſſum, tu benignus ac clemens Deus, remitte* --- ut plurima hujuſmodi, quæ in τῇ Ἀκολουθίᾳ τοῦ ἐξοδιαστικοῦ ſeu *officio exequiarum* ubivis occurrunt, jam prætercam. Qua de cauſa *μερίδας* ſeu particulas ſupra memoratas in anteceſſum offerre ſolent, ut docet D. *Gabriel* in tractatulo περὶ τῶν μερίδων: Ἔτι προσφέρομεν αὐτὰς ὑπὲρ τῶν ἐν Χριστῷ κεκοιμημένων πατέρων, καὶ ἀδελφῶν ἡμῶν καὶ φίλων καὶ συγγενῶν. τὸ δὲ τέλος, ἵνα τάξῃ τὰς ψυχὰς αὐτῶν ὁ κύριος ἐν τόπῳ φωτεινῷ, ἐν τόπῳ χλοερῷ, ἐν τόπῳ ἀναψύξεως, ἔνθα ἀπέδρα λύπη καὶ στεναγμός· καὶ ἵνα καταπέμψῃ ἄνεσιν καὶ παραψυχὴν τῶν κατεχόντων αὐτοὺς ἀνιαρῶν, καὶ δώσῃ αὐτοῖς ἐλευθερίαν καὶ λύτρωσιν τῶν ἐν τῷ ᾅδῃ στεναγμῶν καὶ δακρύων, καθάπερ ἡ ἁγία τοῦ θεοῦ ἐκκλησία διδάσκει κηρύττουσα --- *Etiam illas offerimus pro iis, qui in Chriſto obdormierunt, patribus & fratribus noſtris, & amicis & cognatis: finis autem eſt, ut Dominus illorum animas collocet in loco lucido, in loco amœno, in loco refrigerii, ex quo dolor & gemitus exulat, & ut iis impertiatur remiſſionem & relaxationem ab ærumnis, quæ illos detinet, detque iis libertatem & redemptionem ab inferni gemitibus & lacrymis; ſicut ſancta Dei Eccleſia docet prædicatque.* Ita in Miſſa *Chryſoſtomiana* prout hodie mirum in modum interpolata habetur, ὑπὲρ τεθνεώτων ſive *pro defunctis* ſacrificium incruentum peracturus Sacerdos dicit, ὑπὲρ ἀναπαύσεως καὶ ἀφέσεως τῆς ψυχῆς τοῦ δούλου σου,

δεῖνος,

δείνος, ἐν τόπῳ φωτεινῷ, ἔνθα ἀπέδρα λύπη καὶ στεναγμὸς, ἀνάπαυσον αὐτὴν, ὅπου ἐπισκοπεῖ τὸ φῶς τοῦ προσώπου σου. *pro requie & remiſſione animæ ſervi tui N. in loco lucido, a quo aufugit dolor & gemitus, fac eam quieſcere, ubi reſpicit lux vultus tui.* Hanc particularum offerendarum rationem ſuppuduit, ut videtur, *Cyrillum Lucarim* admiſiſſe, qui aliam excogitavit; cujus verba hac de re ex epiſtola ante memorata exſcribere non gravabor --- *Eſſet hic inſerendum* περὶ μερίδων τῶν ἁγίων, *quæ* μερίδες *novem minimæ particulæ ſunt panis, & decima* S. Mariæ *Matris Domini, quas poſt aquæ & vini in calice infuſionem ab uno pane oblato ſumptas penes Euchariſtiæ panem ponimus, ad ſignificandum jam beatam eſſe ſortem Sanctorum, qui, ut membra capiti Chriſto conjuncta, una in cœleſti gloria triumphant.* Miſſam hanc pro mortuis celebrare pro ſolenni inſtituto ſui officii eſſe ducunt; neque enim alia eſt a *Chryſoſtomiana*, niſi quod illo tempore Epiſtolam & Evangelium pro mortuis legat Sacerdos, & in gratiam defunctorum, quos nominat, tot μερίδας apponat. (*h*) Ita praxin hodiernam adſtruunt nuperæ Confeſſionis authores: ἡ ἐκκλησία μὲ δικαιοσύνην προσφέρει δι᾽ αὐταῖς τὴν ἀναίμακτον θυσίαν καὶ προσευχὰς πρὸς θεὸν πέμπει ὑπὲρ ἀφέσεως τῶν ἁμαρτιῶν: μὰ ὄχι ἐκεῖνοι νὰ πάσχουσι κἂν μίαν κόλασιν καὶ μετ᾽ αὐτὴν νὰ καθαρίζωνται. *Eccleſia juſte quidem ob animas defunctorum incruentum Sacrificium Deo offert, preceſque fundit pro remiſſione peccatorum; non quod, cum vel aliqualem pœnam ſubierint, poſtea purgentur*; quod adjiciendum cenſuere, ne *Purgatorii* dogma, quod a ſe tantopere amoliuntur, & ad cujus nomen quaſi attoniti reſiliunt, iiſdem tamen, quæ defunctis impenduntur, officiis peractis, amplecti videantur. At

(*h*) *Pag.* 86.

At dum ab errore *Purgatorii* anxie nimis, ne dicam inepte, ſibi caveant, in errorem *Origenicum* de animabus impiorum ex inferno tandem liberandis videntur prolapſi: ita enim dogmatice ſtatuunt, (*i*) βέβαια πολλοὶ ἀπὸ τοὺς ἁμαρτωλοὺς ἐλευθερώνουνται ἀπὸ τῶν δεσμῶν τοῦ ἅδου, ὄχι μὲ μετάνοιαν ἢ ἐξομολόγησιν ἰδικήν τους, ἀλλὰ μὲ τὰς εὐποιΐας τῶν ζώντων καὶ προσευχὰς ὑπὲρ αὐτῶν τῆς ἐκκλησίας, καὶ μὲ τὴν ἀναίμακτον μάλιστα θυσίαν ὅπου καθ᾽ ἡμέραν προσφέρει ἡ ἐκκλησία διὰ τοὺς ζῶντας καὶ τεθνηκότας κοινῶς ὅλως: *certo multi peccatores a vinculis Inferni liberantur, non ob ipſorum pœnitentiam aut confeſſionem in illis infernalibus clauſtris, ſed ob viventium pia opera & eleemoſynas, propter Eccleſiæ pro iis fuſas orationes, & potiſſimum propter incruentum ſacrificium, quod quotidie offert Eccleſia pro omnibus viventibus ſimul & mortuis:* item (*k*) μόνον αἱ θεῖαι λειτουργίαι, αἱ προσευχαὶ καὶ ἐλεημοσύναι, ὅπου γίνουνται δι᾽ αὐτὴν ἀπὸ τοὺς ζῶντας, ἐκεῖνα τὴν ὠφελοῦσι πολλότατα, καὶ ἀπὸ τὰ δεσμὰ τοῦ Ἅδου τὴν ἐλευθεροῦσιν, *ſolum divina Miſſæ, preces, & eleemoſynæ, quæ a viventibus pro ipſa anima fiunt, illam maxime adjuvant, illamque a vinculis inferni liberant.* Veruntamen ſive ad averruncandam ſive ad molliendam hujus parum ſani dogmatis infamiam & invidiam illud de ejuſmodi ſolis (*l*) intelligi volunt, qui animis ad reſipiſcendum gratia Dei diſpoſitis ſubita morte oppreſſi ex hac vita exceſſerunt, antequam debitis, ac ſalutari pœnitentia dignis, pietatis officiis belle functi fuerint. Generalis autem Miſſa pro mortuis peculiari ſolennitate celebratur feria ſexta ante Pentecoſten, omnium animarum memoriæ ſacra.

Statis

(*i*) *Pag.* 83.
(*k*) *Pag.* 84.
(*l*) V. Patriarchæ Jeremiæ 2. Reſponſ. p. 247. 248.

Statis diebus anniverſariis defunctorum parentum, cognatorum, amicorumve ſepulchra inviſere pietati ducunt, exequias ſolennes hoc ritu repetituri; poſtquam vero Sacerdos, quod ſui officii eſt, peregerit, explicatis ſuper ſepulchra ſtrophiolis, productiſque cibis ac colybis ſive *(m)* κανισκίοις denuo apparant convivium non ſine hilaritate, utpote quibus ex longa conſuetudine menti infixum eſt, ſe his ritibus funebribus functos de mortuis optime mereri.

Imagines ſculptas, præcipue vero prominentiores, tanto animi faſtidio ac indignatione rejiciunt *Græci*, ut in *Latinos* hac in re, quaſi iis cum *Ethnicis* plane conveniſſet, excandeant invehanturque, D. *Joan. Damaſcenum*, quem inter præcipuos Eccleſiarum Orientalium Doctores merito numerandum arbitrantur, ſecuti. At picturarum, quas εἰκόνας γραπτὰς ſive *imagines pictas* nuncupant, ſive *Chriſti* ſive Sanctorum, longe diverſa eſt ratio, quæ ἅγιαι καὶ σεπταὶ, *ſacra & veneranda* habentur. Has δοξάζειν, τιμᾷν, καὶ προσκυνεῖν (ſingulis enim hiſce vocabulis promiſcue utuntur) honore & cultu proſequi & adorare ipſis ſolenne eſt. In celebrium Veſperarum miniſterio, ex ordinatione *Philothei*, Patriarchæ *Conſtantinopolitani*, Sacerdos non niſi poſt tres reverentias (μετανοίας) coram imagine *Chriſti*, totidemque coram imagine virginis *Deiparæ* factas, ſacrarium ingreditur; & ita in tempore celebrandæ Miſſæ fiunt τρία προσκυνήματα ἔμπροσθεν τῆς εἰκόνος τοῦ Σωτῆρος καὶ τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου, *tres adorationes coram iiſdem imaginibus*: *(n)* quas etiam pro diverſa officii in ſacris faciendis ratione ſubinde pariter ille colit & thymiamate ſuffumigat; cujuſmodi imagi-

(m) V. Balſamonem in 4. Canonem Apoſtolorum.
(n) V. *ſancti Chryſoſt. liturg.*

imaginibus ornatur Tabulatum iſtud, quo Bema a reliqua Eccleſiæ parte disjungitur, ut populo introeunti magis obviæ & conſpicuæ ſint. At in celebrioribus Sanctorum feſtis, quo populi reverentia adverſus illorum memorias magis accendatur, eorundem picturas in chartis graphice e prelo elaboratas in ſuggeſto prope mediam chori partem poſitas (ideo εἰκόνας τοῦ προσκυνήματος dictas) producunt, quas inclinato corpore & genibus honoris cauſa unuſquiſque fere oſculari geſtit. Cultum hunc tum ſeptimæ Synodi, quæ ipſum ſtabilivit inque uſum revocavit, auctoramento, tum hoc prætextu, ut ut levi, adverſus ingentem iſtam argumentorum, quibus obruitur, copiam ſatis munitum opinantur. (o) Ἡμεῖς ὅταν τιμῶμεν τὰς εἰκόνας καὶ τὰς προσκυνοῦμεν, δὲν προσκυνοῦμεν τὰ χρώματα, ἢ τὰ ξύλα, μὰ τοὺς ἁγίους ἐκείνους, τῶν ὁποίων εἶναι αἱ εἰκόνες, δοξάζομεν μὲ προσκύνησιν δουλείας, βάλλοντας μὲ τὸν νοῦν μας τὴν ἐκείνων παρουσίαν εἰς τὰ ὀμμάτιά μας. *Nos cum honoramus imagines, eaſque colimus, neutiquam colores aut lignum colimus, ſed ipſos ſanctos, quorum ſunt imagines, cultu duliæ: mente noſtra illos noſtris oculis adeſſe concipientes:* item (p) οὔτε δίδεται ἀπὸ τοὺς ὀρθοδόξους εἰς τὴν τέχνην τῆς ζωγραφικῆς, ἀλλὰ εἰς τὰ πρόσωπα τῶν ἁγίων ἐκείνων, ὅπου αἱ εἰκόνες παρασταίνουσι. *Cultus iſte ab orthodoxis non exhibetur erga artificium picturæ, ſed ſanctorum perſonas, quos imagines iſtæ repræſentant.* Ita nimirum, dum Sanctos in & ſub imaginibus, quaſi cultus iſte inferior, religioſus tamen, verſus has tantum σχετικῶς adhibitus, in honorem ſanctorum redundaret, quod vani ingenii & ἐθελοθρησκείας inventum eſt, ſe colere cauſſantur, *Christiana* religio-

(o) *Pag.* 237.
(p) *Pag.* 238.

nis majeſtatem & decus ſannis *Turcarum* miſere exponunt, qui harum futilium otioſarumque diſtinctiuncularum, parum gnari, in illam tanquam *Gentilium* δεισιδαιμονίας ſacro cultu indigniſſimo fautricem debacchantur. Hoc enim apud me certiſſime conſtat, illos præjudiciis e doctrina *transſubſtantiationis*, *cultus imaginum*, aliorumque dogmatum ortis, quæ innovandi pruritus, ſuperſtitio, falſuſque zelus in Eccleſiam introduxerint, vix evellendis laborantes, his præcipue de cauſis a religione Chriſtiana amplectenda quam maxime abhorrere. Sed de his plus ſatis.

Habes jam, *Vir Clariſſime*, de Eccleſiæ *Græca*, quæ inſigni divinæ bonitatis miraculo inter tot ærumnas fidei Chriſtianæ retinentiſſima adhuc perſeverat, regimine præcipuiſque dogmatibus ac ritibus qualem qualem commentariolum, quem, cum oratione longe productiori facile deduci potuiſſet, ſumma rerum capita delibaſſe contentus, ultro & de induſtria contraxi. Cum vero de *Græcia* (eheu!) quam afflictiſſima alias bene mereri vix poſſim, ardentiſſimis votis, quibus *Tibi* pro vera illa pietate, quam nullis aulæ deliciis, blanditiis nullis, nulliſve honoribus expugnabilem ſervas illibatam, & pro ingenti iſto, quo erga univerſum populum Chriſtianum affectu propendes, nihil gratius, optatius nihil fore dudum pro comperto habui, apud *Chriſtum* communem noſtrum Salvatorem, quoad vixero, contendam, ut ipſa e *Turcarum* tyrannide mutuis Chriſtianorum Principum auxiliis tandem erepta, priſtinæ puritati reſtituatur. *Chriſte audi nos*, Amen.

E *Collegio* B. *Mariæ Magdalenæ*, OXON.
Auguſti xx. A. Ch.
M.D.C.Lxxv.

AMPLITUDINI TUÆ
deditiſſimus

T. S.

ADDI-

ADDITAMENTUM I.

Eccleſia *Orientalis* olim ad Orientales Romani Imperii plagas, quæ diœceſim *Orientis* peculiariter conſtituebant, reſtricta, ambitu ſuo Syriam, Ciliciam, Palæſtinam, partemque Meſopotamiæ & Arabiæ complectebatur. At poſtea diviſo imperio, ejuſque ſede Roma Conſtantinopolim translata, Eccleſiæ promiſcue omnes, quotquot ſub Romanorum Imperatorum ditione Patriarchæ Conſtantinopolitani authoritatem in ſacris agnoverunt, cum illo tanquam ſummo Antiſtite communionem ineuntes, *Orientales* nuncupatæ erant, quatenus Eccleſiæ Latinorum in *Occidente* ſitæ contradiſtinguuntur.

Hæ Eccleſiæ quatuor Patriarcharum, ſcil. Conſtantinopolitani, Alexandrini, Antiocheni, & Hieroſolymitani juriſdictionibus ſubſunt, quorum ſinguli plena in ſuis Patriarchatibus, ad ſynodos convocandi Metropolitas & Epiſcopos, appellationes ab eorundem tribunalibus admittendi, ſacros ordines, prout expedire videbitur, conferendi, obnoxioſque ſpiritualibus cenſuris feriendi, per ſe, non communicatis conſiliis, competit poteſtas, ſola honoris & ordinis prærogativa Patriarchæ Conſtantinopolitano conceſſa; qui (*a*) ob dignitatem Imperialis civitatis, cui præeſt, illis prior ſuperiorque & dignitate ac privilegiis veteris Romæ Epiſcopo proximus jure Eccleſiaſtico conſtituitur.

Harum vero Patriarchalium ſedium limites Patres

(*a*) V. 3. Can. Concil. Conſtantinop. & 28. Can. Concil. Chalcedonenſis.

Concilii Conſtantinopolitani aſſignaſſe vult (*b*) Socrates Scholaſticus: cum antea non adeo certis terminis figerentur. At plane conſtat, Patriarcharum authoritatem, quæ ad ſummam ἀκμὴν iſthoc tempore nondum pervenerat, ſuccedentibus ſeculis longe in majus creviſſe: neque in communi uſu grande illud & magnificum *Patriarcharum* nomen, quod ad deprimendam *Exarchorum* inſolentem poteſtatem & ſuperbiam introductum erat, habitum fuiſſe, niſi circa tempora Concilii Chalcedonenſis, cujus authoritate & decretis Urbs Hieroſolymitana ſedis Patriarchalis dignitatem adepta eſt, aſſignatis quoque Patriarchatui Conſtantinopolitano, Aſiana, Thracica, & Pontica diœceſibus. Provinciarum vero & Epiſcopatuum diſtrictus omni fere ſeculo variaſſe, ſi Notitiæ Eccleſiaſticæ non oſtendiſſent, ex rerum mundanarum, quæ maxima incertitudine aguntur, viciſſitudinibus, cuivis facile perſuaderi poterit.

Pro his, eorundem ſacrorum conſortibus & ſymmiſtis, tanquam fratribus, in Liturgiis orant; interim nulla Romani Pontificis mentione habita. Quod cum a malo erga illum animo profluxiſſe videretur, inter alios concordiæ & unionis inter Romæ veteris & novæ tunc ineundæ articulos poſtulavit Alexander IV. ab Imperatore Michaële Palæologo, ut in ſacris officiis & hymnis una cum quatuor Patriarchis nomen quoque Papæ recitaretur. Cum vero, gliſcente inter ipſos diſcordia, mos iſte exoleverit, in id Florentiæ denuo concordatum erat; ſaltem Unionis inſtrumentum, quo quinque Patriarchæ ſuo ordine recenſentur, illud innuiſſe videtur. Veruntamen unione iſta, quam Politicæ artes induxerant, mox evaneſcente, Græci, dogma-

(*b*) Hiſt. Eccleſ. lib. 5. cap. 8.

dogmatum ſuorum tenaciſſimi, quibus coacta & tantum non ſimulata iſta concordia tantopere diſplicuiſſet, ad priſtinos mores rediere, non amplius de gratia Romani Pontificis hac vel levicula recenſione retinenda ſoliciti.

Cæteræ Chriſtianorum, qui in Anatolia, Syria, Perſide, & Ægypto ſparguntur, ſectæ, puta, Armeni, Copititæ &c. ſuos quoque habent Patriarchos. Olim quiſpiam Patriarchæ Conſtantinopolitani titulo gaviſus eſt, jubente Papa, qui pro arrogata œcumenica in univerſam Eccleſiam Chriſtianam poteſtate, jus illud fictitium ſibi arrogaverat, ne dicam, eo quod fere per ſexaginta annos (h. e. ab anno 1203. ad annum 1260.) Latini imperii Græci ſedem occupaverint, donec iis expugnatis, eam ſibi & hæredibus ſuis feliciſſimo auſu aſſeruiſſet Michaël Palæologus. At cum hoc non niſi Græcis indignantibus, quaſi ſui juris non eſſent, fieri ſoleret, Pſeudopatriarcha raro jam in ſcenam prodit, reſque Græcorum Congregationis Cardinalium *de propaganda fide* curæ permittuntur. Quo vero facilius ſuorum commodo per Turcicum imperium conſulatur, Epiſcopus quiſpiam plena facultate, ſi quicquam dubii occurrat, decidendi, in caſibus requiſitis diſpenſandi, & quavis occaſione data, quod fieri oporteat, ſtatuendi inſtructus, interdum Conſtantinopoli reſidet, quod munus Franciſcanum quendam, Epiſcopum Calurminæ in India Orientali apud Choromandelios nuncupatum, illic obiiſſe memini.

Græca Eccleſia, ſi per ſe laxe & in genere ſumatur, reſpectu ad ingentes iſtos terrarum tractus, in quibus dogmata ſacrique ritus retinentur, habito, nobilem ſane & magnam Eccleſiæ Catholicæ partem conſtituit.

Chriſtiani enim, quaqua patet ampliſſimum Moſcovitarum imperium, Coſſaki, qui Podoliam nigramque Ruſſiam incolunt, & qui ad ripas Tanais & Boriſthenis inter Maria Euxinum & Caſpium ſpiſſis multitudinibus diſperguntur, Habeſſini in interioribus Africæ plagis longe ultra Ægyptum, ad Auſtrum ſinus Arabici, Circaſſi, Georgiani, qui veterem Iberiam, & Mengrelii, qui Colchida occupant, & quotquot in inſulis mediterranei maris ſub mitiſſimo Venetorum regimine degunt, Græcæ ſunt communionis. Ubivis per haſce latiſſimas regiones Græcorum religio, aut per publicas leges ſtabilita, aut ſaltem libere exercita, maxime floret; licet aliqui ex iis Principibus Aſiaticis, quorum regiones ab Euxino mari ad montem Caucaſum extenduntur, Perſidis & Turciæ Imperatoribus annuum tributum ſolvere cogantur, utpote bello adverſum hoſce potentiſſimos ab alterutra parte vicinos ſuſtinendo longe impares, pace incerta & infida pecuniis & muneribus redempta: nulla vero vi adhibita, quo minus ſacros ritus abſque omni moleſtia obire poſſint. At Eccleſiæ Græcæ, quæ limitibus Imperii Turcici circumcluditur, ſtatus longe deploratiſſimus eſt, Chriſtianorum rebus longa & miſerrima ſervitute ubique accisis & diminutis: qui tamen hoc ingentis beneficii loco habent, quod tantis licet miſeriis obruti, ſibi eſſe Chriſtianis liceat. Cum Moldavis & Wallachis melius agi videtur, Turcis quaſi impermixti, ac ſui juris, nulliſque χειϛομάχων blaſphemiis & obtrectationibus obnoxii, adeo ut Chriſtum Servatorem ſecuriſſime quidem juxta Eccleſiæ ſuæ ritus colant: interim cum illorum Principes ſint Turcarum Vectigales, prout iis lubet, aut conſtituti aut exauctorati, quibus hoc curæ maxime incumbit, ne ſuis rigidiſſimis

mis Dominis vel leviuſcule diſpliceant, omniaque, ne ſordidis quidem exceptis, ad illorum nutum faciant, miſera plebe ſæpenumero expilata, quo fiſco Imperatorio ſatisfiat, etiam hi, quibus paulo minus acerba ſors contingat, ac cæteri Græci, mancipiorum loco ſunt recenſendi.

Patriarcha Alexandrinus in ſuæ communionis Chriſtianos per Ægyptum, Libyam, & Arabiæ partem diſperſos habet: titulus vero, quo literæ ipſius muniuntur, magnificis verbis pro more ita ſolet formari: Ἐλέῳ θεοῦ Πάπας καὶ Πατριάρχης τῆς μεγάλης πόλεως Ἀλεξανδρείας, καὶ κρίτης τῆς οἰκουμένης, *Miſericordia Dei Papa & Patriarcha magnæ urbis Alexandriæ, & judex mundi*, cujus poſtrema pars ab antiquis ſeculis videtur repetenda juxta (*c*) Nicephorum, qui tantum huic ſedi honorem a tempore Cyrilli Concilio Epheſino præſidentis accreviſſe dicit: variat autem; interdum enim paulo inſolentius effertur, addito hoc elogio: - οἰκουμενικὸς Πατριάρχας, ac ſi Patriarchæ Conſtantinopolitano Alexandrinus dignitate par eſſet: eo quod ante ſeculum Conſtantinianum eſſet præcipua inter Orientales Chriſtianæ religionis ſedes, a S. Marco fundata: interdum generalius, Πατριάρχης Ἀλεξανδρείας καὶ πάσης Αἰγύπτου, Πενταπόλεως, Λιβύης, καὶ Αἰθιοπίας, *Patriarcha Alexandriæ & totius Ægypti, Pentapoleos, Libyæ, & Æthiopiæ.* Habeſſini enim ſuam Eccleſiam Alexandrinæ propaginem eſſe, a qua Chriſtianæ fidei lumen acceperant, ſatis gnari, Alexandrinum, a quo illorum Archipræſul ſolet conſecrari, pro ſummo Antiſtite, cujus oraculum in rebus dubiis conſulunt omni tempore, niſi tumultuoſiſſimis iſtis temporibus, quando in Habaſſia regnabant Jeſuitæ, agnoverunt. Hic

L 4 vero,

(*c*) Hiſt. Eccleſ. lib. XIV. cap. 34.

vero, tum ut ipſius, tum ut Chriſtianorum, quorum numeroſi ſuperſunt cœtus, majori commodo conſulatur, Cairi reſidet, ut ſi quod periculum immineat, urbis Præfecto libellis ſupplicibus aut muneribus placato, aut illud præcaveri aut tolli, aut certe minui facilius poſſit.

Patriarcha Antiochenus Eccleſias Syriæ, Meſopotamiæ, duarumque Provinciarum viz. Iſauriæ & Ciliciæ, quæ in Orientalioribus Aſiæ minoris partibus jacent, Eccleſias regit, cujus titulus ita ſe habet: Ἐλέῳ θεοῦ Πατριάρχης τῆς μεγάλης Θεουπόλεως Ἀντιοχείας, καὶ πάσης ἀνατολῆς, *Miſericordia Dei Patriarcha magnæ Dei urbis Antiochiæ & totius Orientis. Oriens* vero juxta veterem & ſtrictiorem *diœceſeos Orientis* ſenſum heic intelligendus eſt. Hujus autem ſedes Damaſcus.

Patriarcha Hieroſolymitanus Eccleſiarum in Palæſtina conterminiſque Syriæ & Arabiæ partibus curam agit: nomen vero ſuum hoc auctum elogio chartis & diplomatibus ſolet præponere: Ἐλέῳ Θεοῦ Πατριάρχης τῆς ἁγίας πόλεως Ἱερουσαλὴμ καὶ πάσης Παλαιστίνης, *Miſericordia Dei Patriarcha urbis ſanctæ Hieroſolymorum & totius Palæſtinæ:* & quandoque honoris ampliandi cauſa: Πατριάρχης Ἱεροσολύμων, τοῦ ἁγίου ὄρους Σιών. &c. *Patriarcha Hieroſolymorum, ſancti montis Sionis, Syriæ, Arabiæ, ultra Jordanem, Canæ Galileæ, & totius Palæſtinæ.*

De Patriarcha vero Conſtantinopolitano, vide quæ in libro annotavi.

A D-

ADDITAMENTUM. II.

MAximam ſacri cultus partem in crebris adorandi geſtibus & verſus humum repetitis inclinationibus collocare videntur Græci, quaſi abſque his totus illius fructus eſſet aliter periturus. Hæ μετάνοιαι communiſſime appellantur, pro varia, eaque majori aut minori corporis agitatione, μεγάλαι aut μικραὶ dictæ; major illa, qua fere ad ſolum corpus protenditur, pauloque a proſtratione abeſt, inde στρωτὴ ſive ἐδαφιαῖα nuncupata; minor, capite genibuſque paulo flexis. Quod pro more ſolenni fit, nec abſque piaculo videtur omittendum, quando primum Eccleſiam ingrediuntur, vel ſi forte itinere terreſtri aut maritimo, quando cymba aut navicula vecti littus legunt, ſacellum, miraculorum aut antiquitatis fama illuſtre, e longinquo proſpiciant, ad eundem cultum, ſi detur opportunitas, ſeſe putant obſtrictos. Inter vero adorandum hiſce aut ſimilibus verborum formulis utuntur, Ἅγιος ὁ Θεὸς, ἅγιος ἰσχυρὸς, ἅγιος ἀθάνατος, ἐλέησον ἡμᾶς. *Tu, qui ſanctus es Deus, ſanctus potens, ſanctus immortalis, miſerere noſtri:* vel, Κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ, υἱὲ καὶ λόγε τοῦ Θεοῦ, ἐλέησόν με τὸν ἁμαρτωλὸν. *Domine Jeſu Chriſte, fili & verbum Dei, miſerere mei peccatoris:* vel ἐλέησόν με Κύριε τὸν ἁμαρτωλὸν. *Domine miſerere mei peccatoris.* Ὁ Θεὸς ἱλάσθητί μοι τῷ ἁμαρτωλῷ. *Deus propitius eſto mihi peccatori*, vel denique uſitatius hoc brevi compendio, Κύριε ἐλέησον, *Domine miſerere*, quadragies, interdum centies ſimul abſque omni intermiſſione & fere uno eodemque continuato ſpiritu repetito.

petito. Nec, dum lingua ſuum peragit munus, manus otioſa eſt; omni enim hoc tempore celerrimo dextræ motu ſeſe crucis ſignaculo munire ſolent; modo ipſis peculiari; duobus nimirum dextræ digitis & pollice compreſſis conjunctiſque, ad denotandum, uti volunt, ſanctiſſimæ Triadis myſterium, primo frontem, tum inferiorem pectoris partem, deinde dextrum humerum, ultimoque in loco ſiniſtrum ſignant, uſuſque frequentiſſimus adeo promptos facit, ut ab hoc ordine, quem toties reciprocant, in tam celeri manus circumgyratione raro aut nunquam aberrent.

Mos iſte verſus Orientem precandi, a primævis Chriſtianis per tot ſecula deductus, adhuc apud ipſos retinetur; utpote adeo ſacer inviolabiliſque habitus, ut ſi poſitura loci utrumque ſimul facere non permittat, Eccleſiæ potius quam Orientali cœlorum plagæ terga obvertere ducant. In Eccleſiis vero, cum Sanctuarium, in quo menſa myſtica reponitur, verſus Orientem ſitum ſit, illo ſemper inter orandum vultus ſuos dirigunt.

Rariſſime autem in Eccleſiis ſedent, cum iſte otioſorum hominum geſtus habeatur, ac ſacro cultui, qui mentem totam in rebus divinis contemplandis occupatam exigit, vix accommodandus, niſi quando præ æſtu, laſſitudine, aut moleſtiis ex longa eaque tædii plena erecto corpore conſiſtendi, tempore, quo iſtæ crebræ inclinationes ceſſant, mora ortis, fatiſcere incipiant. Iſtiuſmodi ſedilibus & ſympodiis, quod ſupra obſervavi, in quibus longo ordine & ſerie, quotquot ſacris adſunt, junctis lateribus alioquin collocari potuerint, carent minores Eccleſiæ: in magnis etiam non niſi pauca admodum *ſtalla*, ut voce infimæ ætatis utar, fere in media parte in uſum Magnatum juxta ap-

apponuntur, quibus non tam inſidere quam corporibus quaſi ſuſpenſis, brachiiſque utrobique expanſis inniti videntur.

Raro etiam genibus flexis & ſolum tangentibus procumbentes, Chriſtianorum Occidentalium ritu, orant, niſi *(a)* forte feſto Pentecoſtes, aliiſque recurrentis anni ſolennioribus feriis; hiſce in rebus adiaphoris priſtinos Majorum mores & Eccleſiæ ſuæ ritus, (cæteris nimirum inclinationibus, quibus ſanctiſſimi Numinis in ſacris obeundis reverentiam teſtantur, hujus geſtus omiſſionem abunde ſupplentibus) accurate, ne dicam ſuperſtitioſe, nimis ſecuti. In hoc tamen minime excuſandi, quod non debito erga ſacra hæc loca divino cultui deſtinata reverentiæ ſenſu affici videntur, qui tectis capitibus illic conſiſtunt, niſi tempore τῆς προελεύσεως, quo ſacra dona ex protheſi ſolenni pompa per circuitum circumgeſtantur, aut dum prælegitur Evangelium, aut ſacra poſt conſecrationem ſymbola oſtenduntur, aut in ipſo actu ea percipiendi; tunc enim operimentum illud de capite tollunt, corpus τρόπῳ τῆς προσκυνήσεως inclinaturi. Muſica, ut antea quoque dixi, eſt admodum inſuavis, nec hymnos ſacros ſecundum harmoniæ regulas modulari norunt, quos non canere ſed vociferari quiſpiam Muſicæ peritus dixerit.

Non memini me vidiſſe in Eccleſiis organum pneumaticum ſive quodcunque aliud inſtrumentum, ad cujus modulos vox Cantorum dirigatur, aut mulceantur Audientium aures. Græci enim ab hoc Muſicæ genere, quam longa deſuetudine dedidicerant, ſi non abhorreant, ſaltem pro miſeræ ſervitutis, quam ſubeunt, conditione abſtinere coguntur, eodem modo,

(a) Vid. Gabr. Philadelph. p. 20.

do, quo apud ipſos campanarum uſus tollitur, ne Turcis offenſionem pariat.

Vaſa aquæ ſacratæ in ſacrarum ædium veſtibulis non proſtant: parum enim ſibi curæ eſſe ejuſmodi luſtricas aſperſiones, nec ad criminum expiationem aut animæ purgationem quicquam facere opinantur: licet poſt ſolennem feſto Theophaniorum aquæ benedictionem frigidam avidiſſimis labiis hauriunt, mirificam neſcio quam virtutem, ſive ad depellendos morbos, ſive ad animam muniendam, inde percepturi, oculoſque tanquam cœleſti collyrio fricant & abſtergunt.

A morbo, qui mortis periculum intentaverit, liberati, donaria quædam, tanquam redditæ ſalutis σῶςρα, laminas nimirum argenteas, partium corporis nuper male affectarum figuras repræſentantes, parietibus Eccleſiæ curant affigendas: hac ex parte, uti aliis in rebus, ex quo Græcia Turcarum imperio ceſſerit, (neque enim quiſpiam hunc morem ab antiquis ſeculis repetendum eſſe dixerit) Romanenſes imitati.

In annis computandis Epocha ἀπὸ κτίσεως ſive *ab orbe condito* maxime frequenti eſt in uſu, non neglecta tamen ἀπὸ τῆς θεογονίας ſive *a partu Virginis* annorum numeratione. Licet olim lites inter veteres Græcæ Eccleſiæ Chronologos, graviſſimæ quidem & vix conciliandæ de utriuſque intervallo, interceſſerint, jam apud hodiernos Græcos tanquam principium certiſſimum & canon habetur, ab origine rerum ad Chriſtum natum annos quinquies mille quingentos & octo decucurriſſe: juxta quem calculum ajunt Conſtantinopolim a Turcis fuiſſe expugnatam anno mundi 6961. h. e. Chriſti incarnati 1453.

(*b*) Septem *generalia Concilia* maxima cum vene- ra-

(*b*) V. Epiſt. Photii ad Michaëlem Principem Bul-

ratione ampleсtuntur Græci, in normam fidei, Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ac morum.

1. Nicææ in Bithynia ſub Conſtantino magno A. C. 325. habitum adverſus Hæreſiarcham Arium.

2. Conſtantinopoli ſub Theodoſio magno A. C. 381. adverſus Macedonium.

3. Epheſi ſub Theodoſio juniore & Valentiano A. C. 431. adverſus Neſtorium.

4. Chalcedoni ſub Marciano A. C. 451. adverſus Eutychetem & Dioſcorum.

5. Conſtantinopoli ſub Juſtiniano A. C. 553. adverſus Origeniſtas.

6. Conſtantinopoli ſub Conſtantino Pogonato A. C. 680. adverſus Monothelitas.

7. Nicææ ſub Conſtantino & Matre ejus Irene A. C. 787. adverſus *εἰκονομάχους* ſeu *εἰκονοκλάςας*. Hujus decreta nullis Scripturarum teſtimoniis aut veterum Chriſtianorum praxi fulta, ſed incerta traditione futilibuſque & omni ſolida ratione vacuis argumentis, non longe poſt Epiſcopi, auctoritate Caroli M. Francofurti in Germania coacti, demonſtrationibus irrefragabilibus e Scripturis ſacris, antiquorum Patrum ſcriptis, & ſanæ Theologiæ rectæque rationis principiis affatim petitis penitus everterunt.

De octavo Concilio generali acerrimæ lites inter Græcos & Latinos olim agitabantur, dum hi illud, quod ſub Baſilio A. C. 869. cogebatur, in quo Photius Patriarcha a ſolio abdicatus & diro anathemate perculſus erat; illi vero alterum decennio poſt, nempe

Bulgariæ, p. 3. &c. Epiſt. Jeremiæ Conſtantinopol. ad Theologos Wirtembergenſes. Epiſt. Meletii Patriarchæ Alexandrini ad V. Cl. Janum Douſam in itinerario *Georgii* Douſæ, Lugd. Batav. c19. 1D. 1C.

pe 879. celebratum, in quo poſt Photium, reſciſſis adverſus illum actis, dignitati Patriarchali reſtitutum, ſymbolum Conſtantinopolitanum abſque additamento *Proceſſionis Spiritus S. a Filio* recitatum firmabatur, hoc nomine & titulo inſigniverunt. Sed quia nulli canones in illo Concilio, quod reſtituendi Photii cauſa unice videbatur celebratum fuiſſe, ſtabilirentur, Græci hoc quaſi omiſſo, neque in cenſum poſito, ſeptenario Conciliorum numero acquieſcunt & gloriantur. Alii vero Concilium Florentiæ ſub Eugenio IV. A. C. 1439. tandem celebratum, cui Imperator Joannes Palæologus, Joſephus Patriarcha Conſtantinopolitanus, multique ex Græcia Antiſtites aderant, pro octavo, obnitentibus licet Græcis, haberi volunt. Quanta vero acerbitate, ne dicam furore mentis, iſti ſimulatæ unioni, cui ille politicis rationibus, iſtique illius quam maxime importuno ſuaſu inducti, ſubſcripſerint, poſt reditum cæteri omnes renunciarint, eamque totam tanquam τὴν διάιρεσιν ἀπὸ τῆς ἀληθείας penitus rejecerint, ex ſylveſtro ſyropulo, aurito & oculato teſte, aliiſque clariſſime conſtat.

Præter ſeptem iſta Concilia generalia quædam Provincialia, præſertim quæ Synodum Nicænam præceſſere, puta Ancyranum, Gangrenſe, aliaque, quorum Canones in Codice univerſæ Eccleſiæ exſtant, pari veneratione proſequuntur.

In Monaſteriis Eccleſiaſticæ diſciplinæ, qua olim inclaruerunt veteres Aſcetæ, pietas & rigor adhuc retinentur. Calogeri enim ſacris officiis quotidie obeundis diligentiſſime occupatiſſimi ſunt, quorum non minima pars in crebra Pſalmorum & Hymnorum Veteris ac Novi Inſtrumenti recitatione collocatur. Pſal-

terium in viginti (c) καθίσματα ſive ſectiones dividitur; ſingulæ vero ſectiones in tres partes, quas ςάσεις nuncupant, ad quarum finem doxologiam parvam ſive *Gloria Patri*, erecto corpore ſtantes, cantillando repetunt.

Pſalmodia hæc præcipuum vitæ & inſtitutionis Monaſticæ munus videtur, cui ex quotidiano uſu adeo aſſueſiunt, ut vix quiſpiam e Calogeris ſit, quin integrum Pſalterium memoriter recitare norit. In illo legendo hic ordo conſtantiſſime obſervatur. Bis in unaquaque primarum ſex hebdomadum Quadrageſimæ lectio abſolvitur; at ſemel tantum in ſancta, quæ Paſcha ἀναςάσιμον præcedit. Quarta enim feria terminatur: reliquum tempus lectionibus aliis ſacris pro more ſolenni ſibi vindicantibus. Poſt, ad diem viceſimum Septembris bina καθίσματα matutinis officiis leguntur, unum tantum veſpere; & ab iſto die tria mane abſolvunt; cum appetente nocte cantica graduum, (quæ τὰ πρὸς κύριον, vel προσκύνεια, a primis Pſalmi CXIX. juxta numeros Græcos, (quod de ſequentibus intelligendum eſt,) verbis, πρὸς κύριον ἐν τῷ θλίβεσθαί με ἐκέκραξα, appellantur) ſoleant recitari. At a feſto Natalium Chriſti ad XV. diem Januarii veſpere Pſalmum CXXXV. canunt, hinc πολυέλεον nuncupatum, a frequenti iſtius Hemiſtichii repetitione, ὅτι εἰς τὸν αἰῶνα τὸ ἔλεος αὐτοῦ. Hac methodo abſque aliqua variatione ad Sabbathum uſque, quod τὴν κυριακὴν τῆς ἀπόκρεω ſive ſexageſimam antecedit, utuntur: hac enim & ſequenti hebdomade, uti in reliquis anni hebdomadibus, excepto ſolenni tempore Quadrageſimæ, quod prius obſervatur, quando lectio iſta duplicatur, ſeptem dierum ſpatio liber iſte Pſalmorum abſolvitur.

Pſal-

(c) Hujus appellationis rationem vide apud Balſamonem & Zonaram ad XVII. Canon. Concilii Laodiceni.

Pſalmus CXVIII. qui decimum ſeptimum *κάθισμα* conſtituit, ab initialibus ipſius vocibus, *μακάριοι ἄμωμοι*, appellatur *ἄμωμος*, uti Pſalmus CIII. ὁ Προοιμιακὸς, eo quod veſpertinum officium ab illo incipiat. Summo etiam mane, præſertim ſi vigilia præcedat, ſex hi Pſalmi viz. III. XXXVII. (*d*) LXII. LXXXVII. CII. & CXLII. nomine Ἑξαψάλμου notiſſimi, quoque recitantur. Sed de his variationibus, aliiſque ſacris officiis, quibus peragendis ſedulo incumbunt, libri Græcorum Eccleſiaſtici conſulendi ſunt. Inde plenior & accuratior horum, quæ tantum delibavi, notitia exhauriri poteſt, ſi quis id operæ pretium duxerit. De illo antiquiſſimo autem hymno, qui *δοξολογία μεγάλη* ſive Ὕμνος ἑωθινὸς appellatur, peculiarem contexui diſſertationem, quam, ſi libet, in prima parte Miſcellaneorum meorum videbis.

In ſuperioribus oſtendi Græcos ſacro Dei cultui ritus, qui fœdam ſuperſtitionem plane redolent, jam a longo tempore immiſcuiſſe; incertum autem eſt, an nova dogmata iſtos ritus introduxerint, an dogmatibus ſtabiliendis ii poſtea ex humani ingenii laſcivia fuerint inventi; ſane ſibi invicem ſubſidio ſunt, mutuaſque adulterandæ veritati operas præſtant. Hinc invaluit religioſus iſte cultus Sanctorum, & præcipue B. Virginis Mariæ, quam Advocatam & Patronam apud Deum invocant: quaſi non aliud eſſet efficacius argumentum, quo Deus ad miſericordiam moveri potuerit, quam ipſius nomen. Hinc preces publicæ hac formu-

(*d*) Pſalmus LXII. olim peculiariter dictus eſt *ὀρθρινὸς ψαλμός*. Conſtit. Apoſt. l. 9. c. 371. *μετὰ τὸ ῥηθῆναι τὸν ὀρθρινόν*. S. Athanaſius Epiſt. ad Marcellinum *ὀρθρίζων ψάλλε τὸν ἑξηκοστὸν δεύτερον, & περὶ παρθενίας, πρὸς ὄρθρον δὲ τὸν ψαλμὸν τοῦτον λέγετε, ὁ θεὸς, θεός μου, πρὸς σὲ ὀρθρίζω.*

formula finiuntur, πρεσβείαις τῆς παναχράντου δεσποίνης ἡμῶν, θεοτόκου, καὶ ἀεὶ παρθένου Μαρίας. *Propter interceſſiones immacultatæ Dominæ noſtræ Dei genitricis, & ſemper Virginis Mariæ.* Diluculo e lectulis ſurgentes, Deum exorare hiſce verbis jubentur, ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος εἶ ὁ θεὸς, διὰ τῆς θεοτόκου ἐλέησον ἡμᾶς: *ſanctus, ſanctus, ſanctus es, o Deus; propter Dei genitricem miſerere noſtri.* Hinc illa oratio in ore omnium eſt, ὑπεραγία θεοτόκε σῶσον ἡμᾶς: *ſanctiſſima Dei genitrix ſalva nos.* Omnem vero pietatem, modeſtiam, ſanamque Theologiam longe ſupergrediuntur plures aliæ preces ad illam directæ, quibus cultus ille ſoli Deo debitus ad illam ſtupide & blaſpheme defertur. Cujus inſaniæ duo tantum exempla apponam, ut (e) Ἐπὶ σέ μου τὰς ἐλπίδας ἀνεθέμην θεοτόκε, σῶσον ταῖς πρεσβείαις σου, καὶ δώρησαί μοι παραπτωμάτων τὴν ἄφεσιν. *In te ſpes meas repoſui, Deipara, tuis precibus ſalva, & mihi peccatorum remiſſionem indulge.* Et (f) τῆς εὐσπλαγχνίας τὴν πύλην ἄνοιξον ἡμῖν θεοτόκε εὐλογημένη· ἐλπίζοντες εἰς σὲ μὴ ἀστοχήσωμεν, ῥυσθείημεν διὰ σοῦ τῶν περιστάσεων· σὺ γὰρ εἶ ἡ σωτηρία τοῦ γένους τῶν Χριστιανῶν. *Miſericordiæ portam aperi nobis, Deipara benedicta, ſperantes in te ne deficiamus: per te liberemur a malis, quæ nos circumſtant; tu enim es ſalus omnium Chriſtianorum:* ut alias preces & hymnos, τροπάρια εἰς τὴν θεοτόκον, (quæ ideo nuncupantur Θεοτόκια) in libris illorum Eccleſiaſticis ubivis occurrentes, omittam, utpote qui puritati & integritati religionis Chriſtianæ adverſantur, & divini cultus Majeſtati derogant.

Ut ſanctius rigidiuſque præ ſe ferant vitæ inſtitutum

M Ka-

(e) In officio aquæ benedictæ minoris, inter alia τροπάρια ejuſdem πονηροῦ κόμματος, in Euchologio p. 442.

(f) V. Varias lectiones in S. Chryſoſt. Liturgiam p. 87.

Kalogeri, ita quo majori erga B. Virginem obſequio a cæteris diſtinguantur, peculiares in monaſteriis in illius honorem ritus obſervant; quorum hic præcipuus videtur. Prandio finito quiſpiam ex ipſis fruſtum panis figuræ triangularis (quod vocant tum ἐυλογίαν, tum παναγίαν) coram picta B. Virginis imagine inter prandendum quaſi oblationis vice expoſitum, in manus ſumens, inter digitos elevat, clara voce pronuncians, μέγα τὸ ὄνομα, illis reſpondentibus, τῆς ἁγίας τριάδος. Deinde acclamat, παναγία θεοτόκε, βοήθει ἡμῖν: *in omnibus ſancta virgo, opitulare nobis:* cæteris concinentibus, διὰ τῆς αὐτῆς πρεσβείας ὁ θεὸς ἐλέησον, καὶ σῶσον ἡμᾶς: *per ejuſdem interceſſionem Deus miſerere, & ſalva nos.* Tum omnes ſimul a Refectorii miniſtro thymiamate ſacro purificari. hymnos in laudem B. Virginis cantillantes, potiſſimum vero hunc (uti in ſacris Euchariſticis poſt oblatam B. Virginis particulam fieri quoque ſolet) Ἄξιόν ἐστιν ὡς ἀληθῶς μακαρίζειν σε τὴν θεοτόκον τὴν ἀεὶ μακάριστον, καὶ παναμώμητον, καὶ μητέρα τοῦ θεοῦ ἡμῶν, τὴν τιμιωτέραν τῶν Χερουβὶμ, καὶ ἐνδοξοτέραν ἀσυγκρίτως τῶν Σεραφὶμ, τὴν ἀδιαφθόρως θεὸν λόγον τεκοῦσαν· τὴν ὄντως Θεοτόκον σε μεγαλύνομεν. *Dignum eſt certe te Deiparam felicem prædicare, ſemper beatiſſimam & ab omni labe immunem, matrem Dei noſtri, Cherubinis magis honorandam, & Seraphimis incomparabiliter glorioſiorem, quæ abſque omni corruptione Deum verbum peperiſti; Te vere Deiparam magnificamus.* In varias partes fractum comedunt, calice mox ſumpto, quaſi eſſet novæ Euchariſtiæ celebratio. In amicorum aliorumque id rogantium gratiam, ut iter, quod incepturi ſunt, feliciter ſuccedat, in hoc ritu repetendo minime ſegnes ſunt, pretio conducti, illos nimirum B. Mariæ, quam ideo

τὴν

τὴν Ὀδοντηγρίαν appellant, patrocinio hiſce ſacris ſolennibus commendantes.

Ad hunc uſque diem a ſanguine comedendo & ſuſfocatis rigoroſe abſtinendum eſſe, pro inſtituto religionis Chriſtianæ habetur : ita ut ad id piaculum admittendum nemo conſcius, urgente licet inedia, cogi, multo minus perſuaderi poſſit, carnem quocunque modo coctam, artibuſque culinariis mutatam, niſi ex cæſo animali omnis ſanguis effluxiſſet, execraturus. Tantæ obſtinationis præſidium a canone, quem S. Jacobus aliique ſacri Aſſeſſores, in concilio Hieroſolymitano congregati, de Gentilium nuper ad fidem Chriſtianam converſorum vita & moribus dirigendis Actor. xv. 20. 29. facta deliberatione ſanciverunt, quem perpetui uſus & neceſſariæ obligationis fore pertendunt, provocantque ad praxin & exemplum primitivorum Chriſtianorum, quaſi Apoſtolorum mentem illi non aliter intellexiſſent. Quod de facto dicitur, teſtatiſſimum eſt, & innumeris indiciis apud antiquos Scriptores patet. Hoc enim argumento, communi ſane, & quo cæteri in ſuis Apologiis uſi ſunt, *(g)* Biblias, paulo ante Martyrium, calumniantium Chriſtianos de epulis Thyeſtæis ora obſtruxit, πῶς ἂν παιδία φάγοιεν οἱ τοιοῦτοι, οἷς μηδὲ ἀλόγων ζώων αἷμα φαγεῖν ἐξὸν; *Qui fieri poſſet ut infantes comederent, quibus ne ſanguinem quidem animantium deguſtare licet?* Quod adeo compertum fuit Ethnicis Magiſtratibus, ut oblatis ejuſmodi cibis, an ſacræ fidei cultores, obſcuris ſuſpicionibus delati, revera eſſent Chriſtiani necne, experiri ſoliti fuerunt. Tertullianus in Apologetico, cap. VIII. *Eru-*

(g) Apud Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. v. c. I. Vide quoque Can. Apoſt. LXIII. Can. II. Conc. Gangrenſis. Can. LXVII. Conc. in Trullo & LVIII. Conſt. Leonis Imperatoris.

Erubeſcat error veſter, qui ne animalium quidem ſanguinem in pabulis habemus, qui propterea quoque ſuffocatis & ſanguine abſtinemus, ne quo ſanguine maculemur vel intra viſcera ſepulto. Denique inter tentamenta quoque Chriſtianorum, botulos etiam cruore diſtentos admovetis, certiſſimi ſcilicet illicitum eſſe penes illos, per quod exorbitare eos vultis. Et Octavius apud Minucium Felicem; *Tantum ab humano ſanguine cavemus, ut nec edulium pecorum in cibis ſanguinem noverimus.* Græci autem hujus antiquiſſimi ritus uſum apud ſe adhucdum retinere non contenti, Romanam Eccleſiam violati præcepti Apoſtolici acerrime poſtulant, inde ſchiſmatis augendi occaſionem avide captantes: cum interim dolendum ſit, ex tantilli momenti liticulis pacem Eccleſiæ turbari potuiſſe, & Græcos, nimio æſtu abreptos, plane obliviſci, ceſſante nimirum iſtius decreti ratione, viz. ne ex tali indulta libertate Chriſtianorum e Judaica gente mentes & conſcientiæ, nondum ſatis hac ex parte inſtructæ, offenderentur, vim iſtam obligatoriam plane ceſſare: & cum de re adiaphora ageretur, decreta ejuſmodi, quæ prudentia amoliendo cuipiam incommodo ſuggeſſerat, per *proviſionem* edita fuiſſe, & eo uſque durare, donec neceſſitas illa, cui originem debent, abeat in deſuetudinem, & omnino tollatur. Tantum vero apud ipſos in execratione ſunt hæc edulia, ut ſi forte ex ignorantia, errore, vel qualicunque caſu plane inſcii quippiam ex illis deguſtaverint, hi μιαροφαγοῦντες ſe ab hoc crimine, licet involuntario, non niſi explicita confeſſione & pœnitentia ſatis purgatos eſſe credunt.

Quando in judicio ſiſtuntur de lite teſtaturi, aut quavis oblata occaſione ſententiam jurejurando firmandam

dam rogati, manum cruci porrectæ imponunt, quam mox oſculantur, frontique applicant; & ſi forte crux deſit, digitis ſibi invicem implexis, & ad inſtar crucis decuſſatis, oſculum imprimunt. Hinc perjurus dicitur Σταυροπάτης ſive Σταυροπατῆς, qui rupto gravi conſcientiæ vinculo, crucem ſub pedibus conculcat; quo nihil contumelioſius in quenquam, quando convitiis & maledictis certatur, dici poteſt.

Index Rerum & Verborum.

A.

Aeditui officium. 119. Ἁγιασμὸς μέγας quid ſit, quando, & ubi fiat. 19. Ἁγιορεῖται quales Monachi. 71. Ἀλειτουργητοὶ quales dies. 118. Ἄμωμος qui Pſalmus ita dictus. 160. Ambitio ad dignitates Eccleſiaſticas conſequendas maximarum fuit Græcæ Eccleſiæ miſeriarum fons & cauſa. 57-60. Anachoretæ quales homines. 78. Ἀνάγεσθαι εἰς τὸν θρόνον quid notet. 53. Anagnoſtarum officium. 67. Ἀντιμίνσιον quid, & unde originem ducat. 105. Aquæ luſtralis conſecratio quando & ubi fiat. 19. 81. pro numero infantum baptizandorum renovatur. 83. Arabes antequam nomina Mohammedi dederunt, fuerunt omnium mundi populorum quaſi fæces, poſtea finitimis terribiles. 10. Archiepiſcopus Heracleienſis habet jus conſecrandi Patriarcham. 61. ejus titulus & Epiſcopatus. ibid. Ἀργία quando & quo modo plebi Græcanicæ indicetur. 22. Ἀρχάριοι quales Monachi. 69. Ἀρχιμανδρίτης qualis homo. 72. Ἄρχοντες τῆς Ἐκκλησίας qui ita dicti. 57. Athos qualis mons. 71. quantum a Conſtantinopoli diſtet. ibid. quot Monaſteria comprehendat. 72. Auctor multa didicit ad Græcæ Eccleſiæ ſtatum pertinentia cum in urbe principe Græciæ degeret. 718. putat præcipuam cauſam, quod non plures Græci ſeſe in Mohammedaniſmi barathrum præcipites dederunt, juxta divinam gratiam eſſe celebrationem feſtorum & jejuniorum. 14, 15. quare ad montem Athos non profectus ſit. 71, 72. Azymitarum nomen quare Græcis datum. 103.

Baptiſmi tempus, neceſſitas, adminiſtrator, locus, modus & formula. 80 81. 83. Baptiſterii locus. 46. Bartonii ſepulchrum & epitaphium. 74, 75 Baſilicæ Græcorum hodie deſiderantur. 39. Βηλόθυρον quid. 95. Βῆμα ἅγιον qualis templi pars. 48. quibus hujus loci pateat aditus. ibid. & 49. appellationes ejus honorificæ. 51. hujus loci Altaria quot, & qualem habeant uſum & dignitatem. ibid. & 52. 104.

Cæſariem alere Græcis eſt illicitum. 67. Calogeri, quibus, in Monaſteriis vacantes, rebus occupentur. 22. 158. inſomnes feſtis celebribus agunt noctem. 24. peculiares ritus in honorem B. Virginis Mariæ obſervant. 161-163. Cantorum locus in templo. 46. eorum officium. 119. Catalogus Metropolium & Epiſcopatuum hodie Throno Conſtantinopolitano ſubjacentium. 60-65. Catechumeni quales homines. 45. quamdiu iis in

Miſſa eſſe concedatur. 91. Chalcedon in ignobilem pagum hodie degeneravit. 61. Chriſmationis adminiſtratio quando & quomodo fiat. 84, 85. ejus appellationes variæ, formula, & adminiſtrator. 84. 86. quando ejus iteratio licita. 85-87. Comneni (Alexii) ſepulchrum. 42. —— (Manuelis) nomen cum Monachali habitu indueretur. 69. Colyba quid ſint. 117. Communicantium requiſita. 107-109. Computatio annorum apud Græcos. 156. Concilia Generalia quot Græci maxima cum veneratione amplectantur. 156-158. Convocatio ad templum quo modo fiat. 53. Coronarum in nuptiis uſus & materia. 128. Crucis feſtum quando celebretur. 15. hujus feſti origo. ibid. & 16. longe juſtius feſtum hoc obſervant Latini quam Græci. 16. Crucis ſignaculum quomodo fiat. 154.

Demetrius Martyr, cujus juſſu, & ubi terrarum martyrii lauream adeptus ſit. 17. quando ejus feſtum celebretur. ibid. Deſponſatio clandeſtina eſt apud Græcos illicita. 126. 128. Deſponſationis ritus. 126, 127. Dies Dominica quare Ἀναςάσιμος dicta. 25. Dominicarum Dierum enumeratio & appellatio. 25-29.

Eccleſiæ quot & qualia Conſtantinopoli exſtent. 37, 38. Eccleſia Græca unde Orientalis nuncupata. 147. ejus Patriarchæ quot. ibid. magnam Eccleſiæ Catholicæ conſtituit partem. 149, 150. in quibus maximam ſacri cultus partem conſtituat. 153, 154. Eccleſiæ ſeptem in regionibus, quæ attingunt portam Arenariam, incendio Græci amiſerunt. 38. Eccleſiaſticorum virorum ordines. 53. 119, 120. qualitates requiſitæ, & ordinatio. 121. Εἴσοδος μεγάλη quomodo ſe habeat. 92, 93. Ἔμβολος qualis in templis locus. 44, 45. Epiſcopalis dignitas quibus donetur. 57 Epiſtolæ hujus occaſio & contentum. 6-8. Euchariſtiæ ſolennia quando, ubi, & quomodo celebrentur. 104. 105. 107. —— panis debet eſſe fermentatus. 103. quare vetulis Monachis & Sacerdotum uxoribus ejus piſtura demandata. 104. —— vinum ferventi aqua miſcetur. 90. 95. —— communicatio fit ſub utraque ſpecie. 96, 97. —— elementa ubi & quomodo populo exhibeantur. ibid. quando & quomodo in Corpus & Sanguinem Chriſti convertantur. 98-102.

Feriarum enumeratio & ſolennia. 29-32. Feſtorum dierum celebriorum ordo. 15-22. celebrationis neceſſitas, duratio, & ſolennia. 22, 23.

Græci ſunt hodie ſub jugo miſerrimæ ſervitutis. 6. 11-13. 150, 151. fidei Chriſtianæ retinentiſſimi. 6. 132, 133. 146. in eos ante Conſtantinum ultra 300. annos perpetim ſævitum eſt. 8. ſub Joviano eorum res veterem, quem ſub Juliano amiſerunt, aſſumſere ſplendorem. 9. hinc facti in Deum procaces, & luxui dediti. ibid. & 10. quod fons fuit miſeriarum quibus hodie obruuntur. 10, 11. nulla arte Turcarum in eos rabiem mollire poſſunt. 11. in ſignum ſervitutis Turcis vectigal quot annis ſolvere debent. 12. eorum ſententia de Ἁγιασμῷ μέγα. 19. 156. quare ſæpius & ſummo mane adeant templa. 23, 24. ſunt in pauperes liberales. 24. dividuntur in tres ordines. 43, 44. eorum ſententia de converſione elementorum in Euchariſtia. 98-102. quare iis nomen Azymitarum impactum. 103. pueris ſacro modo lavacro imbutis S. Euchariſtiæ elementa tribuunt. 109. eorum opinio de animis piorum defunctorum, 115, 116. 133. 142. excommunicatorum defunctorum, 124-126, & impiorum ex inferno liberandis. 143, 144. facile ſolvunt matrimonium. 130. damnant hæreſes Arianas, Neſtorianas, & Samoſatenianas, 133. etiam Macedonianas cæterorumque πνευματομάχων. 136. eorum ſententia de modo ſubſiſtendi S. Spiritus. 133-138. rejiciunt Purgatorium Romanenſium. 139, 140. ſacrificia Deo offerunt pro defunctis. 138-142. eorum ſolennia anniverſaria ſuper ſepulchra amicorum. 144. rariſſime

in

in templis ſedent & genibus flexis procumbunt. 154, 155. eſum ſanguinis & ſuffocati maxime abhorrent. 163, 164.

Heraclius quando e Perſide victor redierit. 10. 16. Hymnus reſurrectionis Chriſti quando cantetur. 32.

Jacobus Apoſtolus fuit Hieroſolymorum Epiſcopus. 17. quando ejus feſtum celebretur. ibid. Jejunia maxima cum religione obſervant Græci. 26. 34, 35. quatuor ſolenniora unoquoque celebrantur anno. 27-33. Ἱεροδιάκονοι quales homines. 73. Ἱερομόναχοι quales homines. ibid. Jeſus Chriſtus quando Paſcha, & quo pane celebraverit. 102-104. variæ phraſes nativitatis ejus. 18. Ἱλαστήριον qualis in templo locus. 49, 50. Imaginum honos qualis. 144-146. Imperatoris ſedes in templo. 49. Inſtrumentum unionis Græcæ & Romanæ Eccleſiæ quale poſtulaverit Alexander IV. 148. S. Johannis Apoſtoli mors & ſepultura. 16, 17. fabula de corpore ejus ſepulto. 17. Julianus Apoſtata voluit Eccleſiam Græcam penitus extinguere, & cultum gentilem renovare. 8, 9. quando, & quomodo diem clauſerit. 9. Juſtinianus S. Sophiæ templum maximo ſumptu inſtauravit. 40. quare ſtatuam Salomonis, oculis ad S. Sophiam converſis, ad ciſternam regiam collocaverit. ibid. & 41. Metropolitæ Achridarum maximam contulit honorem. 56.

Καλόγεραι quales homines. 77, 78. Κολυμβήθρα quale vas. 81. Κατάγεσθαι τοῦ θρόνου quid notet. 53. Καταπέτασμα quid. 95.

Laici quoties ſingulis annis communicent. 105. Lectionis Pſalterii ordo. 159, 160. Lectoris officium 119. Λειτουργία quid notet. 87. Limites ſedium Patriarchalium quando & a quibus aſſignati? 147, 148. Liturgici libri quot ſint, & quando legantur. 87-89.

Mariæ Aſſumptio quando celebretur. 22. hujus feſti origo. ibid. Matrimonium nemini licet contrahere ſine pecunia. 54. ejus ſolennia. 127, 128. ætas requiſita ad matrimonium contrahendum. 128. impedimenta. 129, 130. Μεγαλόσχημοι quales homines. 70. Μετάνοιαι quid. 153. unde μεγάλαι aut μικραὶ dictæ. ibid. Methodius quare a Vizirio exauctoratus. 59. Metropolitæ Pecii authoritas. 56. ——— Theſſalonicenſis titulus & Epiſcopatus. 61, 62. Μικρόσχημοι quales homines. 70. Miſſarum ſolennia quando quo modo, 89-96. & pro quibus celebrentur. 138-142. Mohammed ſubdole venditat, ſe a Deo eſſe miſſum ad legem novam propagandam. 10. huic Arabes nomina dederunt. ibid. Moldaviæ Epiſcopi quot. 65. Monachi cujuſdam Conſtantia Chriſtiana. 77. Monachorum veſtitus. 66. 70. religioſi vitæ ſtatus elogia. 68. generale nomen. ibid. præcipuæ ſedes. 71. occupatio. 72. 73. 75. abſtinentia a cibo. 73, 74. nova nomina 69. quomodo a ſe invicem diſtinguantur. ibid. & 70. Monaſteria varia. 71, 72. 74, 75. Monaſterii prope Boſphoricum littus origo & æſtimatio. 75-77. Muſicæ ſunt Græci imperitiſſimi. 155. Μυστήριον quid notet. 79.

Νάρθηξ qualis in templis locus. 45. S. Nicolaus ubi Epiſcopus, & quando Confeſſor fuerit? 18. quando ejus feſtum celebretur. ibid.

Oblatæ quid, earumque uſus. 114-116. Oblatio Colyborum quando & quare fiat. 117, 118. Oleum unctionis a quibus conficiatur. 130. quando, a quibus, & ubi applicetur. ibid. & 131, 132. hujus unctionis origo & formula, 131, 132. quare hic ritus Εὐχέλαιον nomen habeat. 131. Ὀμφαλὸς qualis templi pars? 47. Organa pneumatica in Eccleſiis Græcis non ſunt in uſu. 155, 156.

Panis in Miſſa conſecrandus quali figura in vertice inſigniatur. 89. ejus diviſio & compoſitio. 95. quomodo poſt conſecrationem audiat. 97. quo in Altari conſecretur. 104. Panteleemon quando martyrii lauream adeptus. 21. quando ejus feſtum celebretur. ibid. quomodo in Martyrologio

gio Romano audiat.. ibid. S. Paraſceve quando martyrio coronatus. 21. quando ejus feſtum celebretur. ibid. Parthenius quare in exilium relegatus. 59. Paſchale jejunium Græci religioſiſſime obſervant. 27. quamdiu duret. ibid. abſtinentia a cibo & potu qualis eo tempore. ibid. Paſchatis appellationes variæ. 25. ſalutatio. ibid. Patriarcha Alexandrinus quibus in locis Juriſdictionem habeat? 55. 151. ejus tituli. 151. quare Cairi reſideat. 152. ——— Antiochenus quas Eccleſias regat. 55. 152. ejus titulus & ſedes. 152. ——— Conſtantinopolitanus ſummam tum in Civilibus, tum in Eccleſiaſticis obtinet dignitatem. 54, 55. per quos terrarum tractus juriſdictionem exerceat. 55, 56. ejus titulus. 56, 57. ——— Hieroſolymitanus quarum Eccleſiarum curam gerat. 55. 152. ejus titulus. 152. Patriarcharum electio a quibus & quomodo fiat. 58, 59. eorum decreta non debent rejici. 124. 126. Patriarchia quot & qualia Conſtantinopoli. 37. Pedumlotio quando, ubi, quare, & quomodo fiat. 29, 30. Pixis quale vas. 110. Φωτισμὸς quid antiquitus ſonaret. 19. Pœnitentes quales homines. 44. eorum abſolutio qua formula fiat. 122, 123. Πολυέλεος, qui Pſalmus ita audiat. 159. Polycrates fuit Epiſcopus Epheſinus. 16. S. Johannis tranſlationem convellit. ibid. Porta ſancta templi quando aperiatur. 47. Precum formulæ. 153. verſus Orientem effunduntur. 154. Προοιμιακὸς qui Pſalmus ita audiat. 160. Προσκύνησις donorum Miſſaticorum. 93. Pſalterium in quot ſectiones dividatur. 159.

Quadrageſimale jejunium. vide Paſchale jejunium.

Reſervationis panis conſecrati origo & ratio. 110-114.

Sacerdotes quibus in rebus a plebe diſtinguantur. 66. quo nomine vulgo appellentur. 67. quando iis illicitum in ſacris operari. 106. dividuntur in tres ordines. 120. quibus liceat agere Confeſſarios. 121, 122. Sacramenta quot & qualia Græci habeant. 78-80. quot & qualia ad ſalutem ſtatuant neceſſaria. 79. Sanctorum cultus religioſus, præcipuæ B. V. Mariæ apud Græcos eſt in uſu. 160, 161. September Græcis eſt anni menſis primus. 15. S. Sophiæ templum præcipuum Turcicæ ſuperſtitionis eſt ſacrarium. 39. a Juſtiniano maximo ſumptu eſt inſtauratum. 40, 41. quomodo Turcæ & Græci id nuncupent. 41. Σῶστρα qualia Græcorum donaria. 156. Σφραγὶς, qualis pars panis Euchariſtici ita audiat. 97. S. Spyridonis feſtum quando celebretur. 18. ejus paſſiones. ibid. Σταυροπάτης quare perjurus ita audiat. 164, 165. Στεφάνωμα 128. Στεφανῶσθαι 128. Στέφεσθαι 128. Subdiaconorum officium. 67. 120.

Templa Græcis ædificare aut inſtaurare non licet. 36, 37. quot, & quæ Græci poſſideant Galatiæ. 38, 39. qualem habeant figuram. 43. quomodo dividantur. ibid. & 44-53. Templum S. Apoſtolorum Andreæ, Lucæ, & Timothei ab Thodora Juſtiniani uxore eſt ſplendidiſſime reſtauratum. 41. juſſit poſtea Mohammedes ſuo nomine inſigniri. ibid. Teſtium in judicio geſtus. 164, 165. Theophaniorum feſtum quando celebretur. 19. variæ appellationes Græcæ, earumque ratio. ibid. Θεοτόκια quid. 161. Τράπεζα σκευοφυλακίου quale in templo receptaculum. 52. Τυμπανιαῖος, quis ita audiat. 125. Turcæ quare ſe interdum coetibus Græcorum ſacris immiſceant. 20.

FINIS.

INSCRIPTIONES
GRÆCÆ
PALMYRENORUM,

cum

Scholiis & Annotationibus

EDWARDI BERNARDI

ET

THOMÆ SMITHI.



TRAJECTI ad RHENUM,

Apud FRANCISCUM HALMAM, Acad.

Typogr. cIɔ. Iɔ. c. xcviii.

2

LECTORI

THOMAS SMITHUS S.

UT melius edoceare, erudite Lector, quo felici caſu quibuſque auſpiciis ſequentes Inſcriptiones e tenebris, in quibus per multas annorum centurias latuere, tandem in publicam lucem eruantur, pauca hic in veſtibulo, antequam in adyta ſis admittendus, præfari omnino neceſſarium duco.

Cum Angli mercatores, viri egregii & nobili proſapia oriundi Halebi (veterum Græcorum Chalybonis) in Syria commorantes, frequenti cum Arabibus cæteriſque nobiliſſimi totius Orientis emporii civibus, vicinæque regionis incolis converſatione habita, Tadmoræ, (ita enim Palmyra, recuperato vetuſtiſſimo nomine, hodie nuncupatur) ſex dierum itinere verſus carbam diſſitæ, rudera, veteris illius magnificentiæ & ſplendoris admirandas plane reliquias, adhucdum extitiſſe intellexiſſent, ex iis non pauci laudatiſſimo ea videndi deſiderio incitati, pro amore literatæ Antiquitatis, communicatis iſtam urbem Europæis incognitam adeundi conſiliis, iter iſtud, a quo aut viarum per inhoſpitam

*eremum difficultatibus, aut periculis ex inſidiis latronum, qui in quoſvis illorum latibula abditoſque receſſus audaci pede ingredi auſuros graſſantur, neutiquam erant abſterrendi, magno animo ſuſceperunt. Hoc factum erat menſe Julio A.Ch.*M.DC.LXXVIII. *Sed perfidia Melkami, Arabum, qui iſtis locis inſidebant, Reguli, propoſitum illud in irritum plane cedebat. Ille enim vir animo agreſti & effero, cauſſatus neminem e gente Francorum eo uſque in ſecretiora deſerti antea penetraſſe, jamque viis inviis per quas ad Tadmoram eundum ſit, cognitis & exploratis; facile fore Turcis, illis monſtrantibus, armatos milites ad illos perdendos immittere, duos e comitibus, quos pro more cum muneribus ad ipſius gratiam aucupandam præmiſere, morte intentata, tanquam captivos apud ſe detinuit, cum reliquis quoque prælium initurus, niſi illorum vitam ſeque ab imminente periculo, bis mille thaleris datis, cum duplum latro iſte primo expoſceret, hiſce anguſtiis conſtituti, redemiſſent. Inde moeſti receſſere, ſolis oculis quaſi eminus raptimque iſta rudera luſtrare, abſque aliqua diligenti indagine contenti: cum Arabibus, licet jam placatis, ob violatam fidem, vix eſſet tuto fidendum. Sed tantæ perfidiæ aliorumque flagitiorum, quorum manifeſtus*

tene-

tenebatur, pœnam poſtea luebat barbarus iſte Emirus, ab Halebenſi Præfecto, quem Baſſam nuncupant, ſtrangulatus.

Tandem vero igneus ille mentis vigor, cui malorum, quæ paſſi ſunt, cum memoria frigidam affudiſſet, redaccendi cœperat, præſertim cum favore Huſæini, Arabum, qui longe lateque immanes illas ſolitudines incolunt, Principis, quendam e ſuis, viæ ductorem, & Tadmorenſibus bene cognitum, in majorem ſecuritatem obtinuiſſent. Qua ſpe & fiducia erecti fretique, iter iſtud ineunte Octobre. A. Ch. M. DC. XCI. *denuo inſtitutum, favente divina providentia auſpicatiſſime abſolverunt. Itineris hiſtoriam, una cum Palmyræ notitia, in qua ſequentes Inſcriptiones continentur, deſcripſit vir reverendus, Guilielmus Halifaxius, mercatoribus Anglis a ſacris, & Collegii Corporis Chriſti apud Oxonienſes Socius, quam ad Virum eruditiſſimum D. Bernardum tranſmittendam curavit, hic vero ad me, ut Actis Philoſophicis Regalis Societatis Londinenſis inſereretur, ne cultiorem Europam diutius laterent hæc tam venerandæ antiquitatis, quæ nondum edacitas temporis, aut terræ motus, aut Arabum Turcarumque barbaries penitus abſumpſerant, monumenta. Annuerunt citra moram Viri Clariſſimi, quibus illa Acta condendi cura de-*

demandata eſt, & cimelium hoc, licet argumenti ab inſtituto ſuo paulo alienioris primo intuitu eſſe videretur, incomparabili iſti obſervationum Philoſophicarum & Mathematicarum theſauro adnumerari facile paſſi ſunt. Nolo autem vel compendio ea referre, quæ majori cum fructu & delectatione fuſe ex iſtis Actis petenda ſunt: mihi enim ſola res eſt cum Inſcriptionibus, quas felix D. Halifaxii diligentia quatriduo, dum illic moratus eſt, inveſtigando detexit. Errores inter exſcribendum admiſſos, nemo, qui characteres in marmoribus, temporis injuriam paſſis, aut exciſos aut exeſos & plane evanidos fuiſſe in mentem revocaverit, illi abſque injuſtiſſimi cenſoris infamia exprobrare poteſt. Potius laudibus, quas meretur, cumulandus eſt, quod haſce eruditæ antiquitatis gazas, tanto cum labore & impendio recluſas, orbi literario liberali manu impertitus fuerit.

Hujus autographum quum primum perlegerim, D. Bernardum rogavi, ut in haſce Inſcriptiones commentariolum adornare vellet. Quo minus conſilium hoc meum facili aure tunc temporis exceperit Vir amiciſſimus, qui æquum poſtulanti pro amore, quo erga me ex conſuetudine & familiaritate ab ineunte juventute noſtra ultra novem annorum luſtra continuata orto ferebatur, morem gerere ſolitus erat;

ob-

obſtabant tum ſtudia longe diverſi generis, quibus diſtinebatur, tum maxime ægritudo, qua laborabat. Mox vero otium nactus, & a morbo paulo recreatus, ſe expugnari iteratis precibus meis paſſus eſt. Quod conſulto feci, ſatis gnarus, neminem aut feliciori ingenio, aut ſagaciori judicio, aut ſolidiori eruditione, quicquid obſcurum aut intellectu difficile in iſtis marmoribus occurrebat, explicaturum. Quod vero ſchediaſmata hæc publici juris non fierent, vel ante ſuſceptum iter Hollandicum, vel poſt ipſius reditum, dum in vivis eſſet, multa interceſſere, quæ nunc celabo. Paucis ante obitum diebus illa ad me tranſmiſit Vir optimus, ὁ νῦν ἐν ἁγίοις, *ut una cum meis in eadem marmora Palmyrena annotationibus (ita enim moriens ſtatuebat) tandem aliquando luce publica donarentur. Norat enim me quippiam hac ex parte pridem molitum fuiſſe, ſi per illum, ſi per alios, qui iſtam gloriam laudemque præripere, ſi qua manet, magno niſu contenderunt, id liceret. Veruntamen fortaſſe, quod hic non invitus, imo maxima cum lubentia fatebor, ab iſto labore, ut ut tenui & perpuſillo, tanquam inutili & ſupervacaneo abſtinuiſſe debueram: & omnino puduiſſet iſti purpuræ hoſce laceros pannos attexuiſſe, niſi affectus erga optimum amicum, qui id voluit, cujus memo-*

ria ſemper apud me ſacra erit, juſſiſſet, ut ipſius famæ poſthumæ & nunquam intermorituræ, dum ſtabit Oxonium, (ſtabit autem in æternum) vel ſuſque deque habita propria, velificarer. Inſcriptiones a me quoque Latine pridem converſas longe alio ordine, quod hic præmonendum duco, poſueram, quem, ne moleſtia in inveſtigandis annotatis Lectori oriretur, mutavi, ut numeris Bernardinis pariter reſpondeant. Quod vero jam conjunctim prodeant, totum illud, quantum quantulumcunque eſt, Viro Clariſſimo & Doctiſſimo Theodoro Janſſonio ab Almeloveen, Literaturæ politioris Harderovici in Gelria Profeßori, utriuſque noſtrum communi amico, acceptum referendum eſt, & cui, poſt D. Bernardum τὸν πάνυ, gratiæ, ſi quippiam inde animo tuo adlubeſcat, tuiſve ſtudiis inſerviat proſitque, merito debebuntur.

Plin. Nat. Hiſt. lib. v. *cap.* 25.

Palmyra urbs nobilis ſitu, divitiis ſoli, & aquis amœnis, vaſtos undique ambitu arenis includit agros, ac velut terris exempta a rerum natura, privata ſorte inter duo imperia ſumma Romanorum Parthorumque, & prima in diſcordia ſemper utrinque cura. Abeſt Seleucia Parthorum, quæ vocatur ad Tigrin, CCC. XXXVII. M. Paſſ. a proximo vero

Sy-

Syriæ litore CCIII. M. & a Damaſco XXVII. propius.

Joſephus Antiquit. Judaic. lib. VIII. *cap.* 2.

Ἐμβαλὼν δὲ καὶ εἰς τὴν ἔρημον τὴν ἐπάνω Συρίας, καὶ κατασχὼν αὐτήν, ἔκτισεν ἐκεῖ πόλιν μεγίστην, δύο μὲν ἡμερῶν ὁδὸν ἀπὸ τῆς ἄνω Συρίας διεστῶσαν, ἀπὸ δ' Εὐφράτου μιᾶς, ἀπὸ δὲ τῆς μεγάλης Βαβυλωνίας ἓξ ἡμερῶν ἦν τὸ μῆκος. Αἴτιον δὲ τοῦ τὴν πόλιν οὕτως ἀπὸ τῶν οἰκουμένων μερῶν τῆς Συρίας ἀπῳκεῖσθαι, τὸ κατωτέρω μηδαμοῦ τῆς γῆς ὕδωρ εἶναι, πηγὰς δ' ἐν ἐκείνῳ μόνῳ τῷ τόπῳ εὑρεθῆναι καὶ φρέατα. Ταύτην οὖν τὴν πόλιν οἰκοδομήσας καὶ τείχεσιν ὀχυρωτάτοις περιβαλών, Θαδαμόραν ὠνόμασε, καὶ τοῦτ' ἔτι νῦν καλεῖται παρὰ τοῖς Σύροις, οἱ δὲ Ἕλληνες αὐτὴν προσαγορεύουσι Παλμυράν.

h. e.

Ingreſſus deinde in deſertum, quod eſt ſuper Syriam, ejuſque regionis potitus, urbem ibi maximam condidit, duorum dierum itinere a ſuperiore Syria diſtantem, ab Euphrate vero unius. Ad magnam autem Babylonem inde ſex dierum via protendebatur. Quare autem à reliquis cultæ Syriæ partibus hæc urbs tam procul habitetur, cauſa hæc eſt, quod mediterranea

per deſertum petentibus ; ibi demum fontes ac putei reperiuntur. Hac igitur urbe extructa, & mœnibus validiſſimis cincta, Thadamoram eam appellavit, quo nomine etiam nunc a Syris vocatur. Græci Palmyram nominant.